C A P U T XVIII.

a Idem *Arelatensi Archiepiscopo*, *&* *Vallis* b *Magnæ Abbati*.

CUm dil. fil. Cisterciens. Abbas, & P. & R. fontis Frigidi, Sed. Ap. c L. ad d Agathen. Ecclesiam accessissent, ut in ea legationis officium exercerent, quia de v. f. n. Agathen. Episcopo per frequentem clamorem multa sibi fuerant insinuata sinistra, noluerunt descendere, ac videre, si clamorem opere complevisset. Idcirco tam Episcopum, quam Canonicos juramenti vinculo adstrinxerunt, ut super statu Ecclesiæ sibi dicerent veritatem. *Et infra:* Quia vero non constitit, sub qua forma coram prædictis Legatis præstitit e juramentum, utrum videlicet ita juraverit, ut super statu Ecclesiæ plenam, & meram diceret veritatem; an ita, ut ad inquisita veraciter responderet: disc. v. per A. s. m. quat. eisdem Legatis ex parte nostra, in virtute obedientiæ districte mandetis, ut sub qua forma juramentum præstiterit, studeant fideliter intimare: & si secundum responsionem eorum sub secunda forma juraverit, aut ipse coram nobis sufficienter probaverit, se sub illa forma jurasse, per depositiones testium, quos produxerit apud Sedem Apostolicam constitutus, quas vobis sub bulla nostra mittimus interclusas; aut etiam aliorum, cum nondum depositiones illæ fuerint publicatæ, nec ipse productionem testium renuntiare curaverit, quoniam secundum eamdem non tenetur ex debito juramenti, nisi ad inquisita solummodo respondere, vos excusationes illas, quas vobis sub bulla nostra mittimus interclusas, diligenter audire curetis, & si eas probaverit diligenter, cum excusationes hujusmodi confessiones illas non exprimant, quæ tales sunt, ut ad bonum, & malum valeant retorqueri, & ideo judicari debent ex causa, eum sub. ap. ob. penitus absolvatis: cum etsi repertus fuerit culpabilis in quibusdam, ex labore tamen, & pudore punitus, quos propter hanc causam incurrit, hujusmodi levis culpa leniter ei valeat indulgeri. Quod si excusationes illas super dilapidatione, naufragio, & simonia probare nequiverit, aut si sub prima forma juravit; cum secundum eamdem veritatem f tacere, nec admiscere debuerit falsitatem, vos non obstantibus excusationibus illis, quas denuo proposuit coram nobis, cum in confessionibus suis nullam omnino de illis fecerit mentionem, quamvis firmiter asseruerit, quod exceptiones plures ex illis prædictis Legatis exposuit, quas ipsi scribere non curaverunt, cum hoc per se probare non posset, tanquam qui solus examinabatur ab illis, eum sublato cujusque contradictionis, & appellationis obstaculo, ab administratione Agathensis Ecclesiæ removeatis.

N O T Æ.

1 a A*Relatensi.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. 5.* Michaeli videlicet Archiepiscopo Arelatensi: de qua Metropoli nonnulla addam in *c. 16. de offic. deleg.*

b *Vallis magnæ.*) Vallis magna Cisterciensis Ordinis duplex est: altera Bituricensis diœcesis, alia in diœcesi Agathensi, de qua in libris Cameræ ita legitur: *Sanctæ Mariæ Bonævallis Vicennensis; Vallismagna in Marca Occitana, diœcesis Agathensis.* Refert Manrique *t. 2. annal. Cisterciens. anno 1150. c. 6n. n. 9.*

2 c *Ap. Sed. Legati.*) Videlicet S. Arnaldus, 17. Abbas Cisterciensis, & B. Petrus, & Radulfus, monachi monasterii Fontisfrigidi, Legati missi contra Albigenses ab Innocentio III. uti Albigensium provinciam visitarent: & postea Sanctus Arnaldus creatus fuit Archiepiscopus Narbonensis, ut refert Manrique *tom. 1. in serie Abbatum Cisterc. num. 17.* De Cisterciensi Ordine, & Fontis Frigidi monasterio egi *in cap. cum ordinem 6. de rescript. cap. ad perditorum, de elect. cap. literas; de supplenda.*

d *Agathensem.*) Provinciæ Narbonensis, de qua egi *in cap. 6. de his quæ vi.*

e *Præstitit juramentum.*) Episcopus videlicet Agathensis.

f *Tacere.*) Dubium est inter Doctores, an quotiescumque reus interrogatur a judice juridice de proprio delicto, teneatur ipse proprium crimen fateri? Et explosis variis sententiis, teneri ipsum, etsi pœna capitali plectendus veniat, veritatem dicere, probant communiter, quos referunt, & sequuntur Sanchez *lib. 6. summæ c. 3. dub. 19. per totum.* Gutierez *lib. 1. de dolictis, cap. 9. cum sequent.* 3

C A P U T XIX.

Idem *Archiepiscopo* a *Tarraconensi*, *&* *Abbati Sanctæ Mariæ de* b *Populeto*, *&* *Archidiacono* c *Barchinonensi*.

CUm oporteat Episcopum. *Et infra:* Sane venientibus ad Ap. Sed. d. fil. G. Grassi, & G. de d Monte Rugali, multa gravia, & enormia contra ven. f. n. Vincen. Episcopum proponentibus coram nobis, quia illa non debebimus sub dissimulatione transire, vobis, frater Episcope, ac fili Archid. inquisitionem eorum duximus committendam, illius imitantes vestigia, qui cum haberet villicum, & ille diffamatus fuisset apud eumdem, quia dissipasset bona ipsius, cum eo posuit rationem. Verum dictus Episcopus, antequam ad ipsum nostra citatio pervenisset, ad præsentiam nostram accedens, proposuit coram nobis, quod illi, qui enormia illa de ipso nobis suggesserunt, typho malitiæ potius, quam justitiæ zelo ducti nobis hujusmodi nuntiaverint, cum ipsi ejus sint manifestissimi inimici, & cum ejus hostibus conversentur, consanguineosque suos, ac complices intendant ad e testificandum producere contra ipsum, qui ad denuntiandum, seu ad testificandum admitti non debent aliqua ratione, utpote juramenti præstiti transgressores, & aliis criminibus irretiti. Ne vero per legis compendium ad grave dispendium veniatur, disc. v. per A. s. m. quat. nisi super iis, quæ nobis sunt proposita contra ipsum, f famam ipsius læsam esse noveritis, vos ad inquisitionem illorum non subito procedatis. Quod si fuerit ad inquisitionem procedendum, prædictos, vel alios, quos ipsius esse constiterit inimicos, nec ad prosequendam inquisitionem, nec ad perhibendum testimonium contra ipsum Episcopum admittatis, sed per viros idoneos super iis, quæ suggesta sunt, inquiratis solicite veritatem: & si nihil grave probatum fuerit contra ipsum, vos ei purgationem canonicam indicatis.

N O T Æ.

a T*Arraconensi.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* de Tarraconensi Metropoli egi in *cap. 1. de his quæ vi.*

1 b *Populeto.*) Populetum monasterium est percelebre ordinis Cisterciensis, Tarraconensis diœcesis in Catalonia, ad radices montis Pradensis. Nomen loci ab arborum frequentia sunt qui deducant: alii a ædificantis domus magnitudine, quasi oppidulum dictum, quod vernacula lingua Catalauni *Poblet* vocant. Sed rectius alii a sancto Eremita ejusdem nominis derivant, qui locum illum ab aliquot annis inhabitabat, ut referunt latius prosequentes ipsius monasterii originem, & magnitudinem Yepes *in centur. D. Benedicti, anno 1153.* Manrique *t. 2. annal. Cisterc. eodem anno, fol. 250.* Petro IV. hujus nominis Abbati ipsius monasterii missa est præsens decretalis, ut notavit idem Manrique *d. tom. 2. in serie Abbatum Populeti.*

Populetum quid.

2 c *Barchinonensi.*) Barchino, seu Barchinona, civitas est in agro Laletano sita, multis hinc inde oppidis conspicua, ideoque amœna a Rufo Festo appellatur.

Et Barchinonum amœna sedes;
Nam pandit illic tuta portus brachia,
Vivitque semper dulcibus tellus aquis.

Circa cujus originem variæ sunt Historicorum opiniones; primam refert Rodericus Tolet. *l. 1. hist. Generalis, c. 5.* his verbis: *Postea Hercules ex radice montis Caci, ex his, qui secum; & suis pedissequis (novis ad Galleciam applicatis) novem ad littus applicuit Calcibetia, ubi civitatem ædificavit, & ex nona barca Barchinonam appellavit.* Consentiunt Gerundensis *in Paralip. Hispaniæ, lib. 2. tit. de urbibus ab Herculæ conditis;* Florian. de Ocampo *lib. 1. c. 27. & lib. 4. c. 12.* Valer. *par. 2. histor. c. 4.* Miedes *histor. Jacob. lib. 18. cap. 1.* Hieronymus Paulus *in sua Barcin. in princip.* Pujad. *hist. Catal. lib. 1. c. 23.* Diagul. *hist. Comitum Barcin. lib. 1. c. 2.* Alii asserunt, quod Amilcar Dux Carthag. cognomento Barcino urbem illam condidit, & a suo nomine Barcinonem appellavit: ita Tarrafa *de reg. Hispan. anno ante advent. Christi 234.* Nonius *in Hispan. cap. 88.* Sed has, & alias sententias, quas refert Tamayo *t. 1. Martyrol. die 6. & 29. Januarii, 12. Februarii, & 6. Martii,* refellit Cornel. *in notis ad Gregorium, lr. 3. fol. 423.* & vere de hujus urbis initiis nihil hactenus certi liquet, nisi eam a Carthaginensibus debere primordia sua, ut testatur Ausonius ad Paulinum, his versibus. Epist. xxiv.

Quid quærer, etsiquæ fuisset crimine nostri?
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris juga pinguida Pyrenæi,

Eamdem coloniam fuisse Romanorum, testis est Plinius *l. 3.* ibi:

In ora autem colonia est Barcino cognominata. Et probat Ant. August. *dialog. 7.* Jam a primis Ecclesiæ sæculis habuit Ecclesiam Cathedralem Tarraconensis suffraganeam, ut refert Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 77.* ejus Archidiacono rescribit Innocentius in præsenti.

3 d *De monte regali.*) *Canonicis Vicen.* legitur in hac sexta collectione, & rectius, cum Ecclesia Cathedralis Vicenensis sit etiam suffraganea Archiepiscopi Tarracon. ut refert Bosquetus *ubi sup.* Ecclesia autem montis Regalis sit in Sicilia, de qua plura D. Pyrrho *tom. 1. Siciliæ sacræ.*

e *Testificandum.*) Juxta tradita *in c. 17. de testib.*

f *Famam.*) Quæ necessaria est ad inquisitionem, ut dicemus infra *in cap. inquisitionis*, ubi commentarium hujus textus dabimus.

C A P U T XX.

a Idem.

CUm dil. fil. *Et infra:* Inquiratis super præmissis diligentius veritatem, & si vobis constiterit, prædictos, quorum nomine sunt hujusmodi de prædicto Episcopo nunciata, publice concubinarios tunc fuisse, propter quod in eos fuerit excommunicationis sententia b promulgata, vel præfatum Episcopum de jamdictis excessibus non fuisse præmonitum ab eisdem, vel ipsos conspirasse in eum, eos a denuntiatione ipsa repellatis: alioquin auditis diligenter, quæ fuerint, &c. eidem Episcopo auctoritate nostra nihilominus prohibentes, ne super iis, pro quibus ad audientiam nostram fuerit legitime appellatum, prædictos clericos indebite gravare præsumat, donec causa prædicta juxta formam mandati nostri fuerit terminata.

N O T Æ.

1 a I*Dem.*) Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 1.* nullibi tamen exprimitur, cui Prælato rescribat Pontifex, nec de quo Episcopo in præsenti agatur.

2 b *Promulgata.*) Et ita erant criminosi, & inimici, qui omnino prohibentur accusare, ut probavi supra *in cap. novimus.* Consonat idem Innocentius *lib. 3. regist. 15. ep. 201.* in hæc verba: *Dilectus filius I. Decanus Christianitatis Divionensis in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cum olim L. f. & H. Canonici Capellæ Ducis Divionen. Lingonien. Diœcesis, non ad correctionem, sed potius ad infamationem ipsius, nobis quædam denuntiantibus contra ipsum, venb. f. N. Matisconen. Episcopo, & suis conjudicibus dederimus in mandatis, ut vocari qui essent propter hoc evocandi, quod invenirent super objectis, per suas nobis litteras intimarent: partibus in ipsorum præsentia constitutis, & eodem inficiante Decano, quod denuntiationem ipsam monitio charitativa præcesserit, & firmiter asserente prædictos Canonicos facta denuntiationis tempore inimicos suos, & emulos extitisse, tandem fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, cujus appellationi memorati judices detulerunt. Idem vero Decanus quorumdam religiosorum litteras repræsentans, qui de vita & conversatione ipsius laudabile testimonium perhibebant, nobis humiliter supplicavit, ut occurrere adversariorum suorum malitia, ac laboribus ejus finem imponere dignaremur. Nolentes autem ipsum indebite fatigari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus denuntiatores præfati monitionem charitativam præmisisse super objectis probare nequiverint, aut Decanus ipse docuerit illos suos extitisse denuntiationis tempore inimicos, eumdem ab illorum denuntiatione, sublato appellationis obstaculo absolvatis: alioquin in eodem negotio juxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota, ratione prævia procedatis. Quod si non omnes, &c. duo vestrum, &c. Tu denique, fili Abbas, super teipso, &c. Datum Laterani idib. Januarii, Pontif. N. anno XV.*

C A P U T XXI.

Episcopo a *Genuensi*, *&* b *Viennensi Sacristæ*.

INquisitionis negotium, quam de venerabili fratre nostro Episcopo, & Canonicis c Valentin. vobis commisimus faciendam, sine conscientiæ scrupulo exequi cupientes, Apostolico petiistis oraculo edoceri, utrum eorum publicanda sint dicta, & d nomina, quos interrogari contingit, prout de testibus in publicis causis fieri consuevit: an sola dicta eorumdem publicari sufficiat, cum idem Episcopus & Canonici manifeste sciant, qui fuerint inquisiti: & utrum contra dicta eadem debeant exceptiones, seu replicationes admitti, cum contra personas dicentium admittantur. Ad quod breviter respondemus, non solum dicta, sed etiam ipsa nomina, ut quid a quo sit dictum, appareat, publicanda; & exceptiones, seu replicationes legitimas admittendas: ne per suppressionem nominum, infamandi; per exceptionum vero exclusionem, deponendi falsum audacia præbeatur. Secundo quæsiistis, quid vobis sit statuendum, si contra quempiam per inquisitionem probatum fuerit tale crimen, quod deponeret accusatum criminaliter, & convictum. In quo quidem duximus distinguendum, utrum videlicet tale crimen contingat adversus aliquem inveniri, quod ordinis executionem suscepti aut retentionem beneficii etiam post peractam pœnitentiam impediret, puta si homicidium commisisset, vel adeptus esset ordinem, aut beneficium vitio simoniæ: quo casu erit sicut in accusationis judicio procedendum. Alioquin secundum personæ merita, & qualitatem excessus pœnam poterit judicantis discretio moderari. Tertiæ dubitationis articulus continebat, utrum cum duo, vel tres jurati affirmant alium crimen aliquod eisdem videntibus commisisse, de quo tamen aliqua infamia non laborat, aliquam illi pœnam infligere debeatis: & utrum ad petitionem quorumdam e quasdam schedulas vobis occulte tradentium infamationem Episcopi continentes, sit ad inquisitionem eorum, quæ in ipsis continentur schedulis procedendum & an fides eorum dictis debeat adhiberi, qui post juramentum interrogati secreto, utrum sint eorum, de quibus inquiritur, inimici, respondent, quod non diligunt illos, vel directe f inimicos se asserunt eorumdem, aut etiam ante juramentum id publice confitentur, nullas tamen inimicitiarum causas probabiles ostendentes. Ad hæc autem pariter respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, sed clamosa insinuatio sola præcessit, propter dicta hujusmodi puniendum: quin imo super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt: nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum esse ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus faciendam, aut etiam adversus eos, contra quos fit inquisitio, fidem dictis adhibendam illorum, qui post juramentum, vel ante, tacite, vel expresse inimicos se asserunt eorumdem, nisi forsan ante juramentum in fraudem id facere præsumantur. Quæsiistis præterea, quid statui debeat, si nihil per certam scientiam, sed tantum per famam, & eorum qui fuerint inquisiti, credulitatem juratam contigerit inveniri: utrumne aliquis super eo crimine reputari debeat infamatus, de quo ipsum duo, vel tres, aut plures dixerint infamatum, licet de ipso nihil sinistrum in publico audiatur. Ad quod est nostra responsio, quod propter famam & deponentium credulitatem dumtaxat, non erit ad depositionis sententiam procedendum, sed infamato canonica poterit indici purgatio secundum arbitrium judicantis, qui propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet, cujus apud bonos, & graves læsa opinio non existit. Tu denique, frater Episcope, super te ipso, & credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vitia, & plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique juxta opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Laterani 13. Kal. Jan. Pont. N. anno quintodecimo.

N O T Æ.

1 a G*Enuen.*) Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc titul. cap. 2.* & epistolis Innocen. editis a Bosquetio *lib. 3. regist. 15. epist. 189.* Sed legendum est *Gevennensi*: Geneva enim est urbs Galliæ, in Metropoli Viennensi: inter oppida Allobrogum recensetur a Papirio Massonio in descriptione Galliæ, *fol. 357.* De ea plura Fratres Sammart. *lib. 2. Galliæ Christ. fol. 595.* jam olim habuit Ecclesiam Cathedralem; sed cum occupata esset ea urbs ab hæreticis, Sedes Episcopalis Annecium Sabaudiæ oppidum translata fuit. Alia dedimus de Ecclesia ipsa *in c. 10. de voto.*

b *Viennensi.*) Vienna olim ita dicta, qui a Viennio constructa fuit: celebris Metropolis est Allobrogum, Romanorum colonia, teste Paulo *in l. fin. ff. de censibus*; ad Rhodanum posita est, & ejus meminerunt Cæsar *lib. 7. c. 2.* Plinius *lib. 3. c. 4.* Ptolomeus *l. 2. c. 10.* quos & alios referunt Fr. Sammart. 2

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

tom. 1. Gallia Christ. fol. 789. ejus Archiepiscopus Primatis nomen aliquando sibi vindicavit, ut refert Chenu *in serie Præsul. ipsius Ecclesiæ.*

c *Valentin.*) Valentia Romanorum Colonia, prænomine Julia, teste Ptolemæo *lib. 2. cap. 8.* civitas est Segalaunorum in Gallia, cujus mentio extat *in leg. 22. C. Theodos. de annon. & tribut. leg. 113. eod. Cod. de Decur.* sita est supra Rhodanum: habet Ecclesiam Cathedralem dicatam D. Apollinari, de qua agit Chenu *in serie Præsul. ipsius Ecclesiæ.*

3 d *Et nomina.*) In causis fidei reo edi nequeunt nomina, vel cognomina testium, unde ipse possit venire in cognitionem eorum, *c. fin. §. volumus, de hæretic. in 6.* ubi ratio assignatur, non solum quia periculum testibus imminet, verum etiam ut facilius in negotiis fidei ipsi deponant: quam praxim in Tribunalibus sancti Officii receptam defendunt & probant Farinac. *de hæres. q. 188. §. 1. n. 7.* Penna *ad Eymericum in Direct. comment. 124.* Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 2. c. 6. nu. 79.* Castropalao *in opere morali, par. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 3. num. 7.* Carena *de offic. inquis. p. 3. tit. 7. §. 9.* Unde cum non adsit eadem ratio in aliis delictis, & causis criminalibus, nomina testium eduntur, ut late probant Gutierez *de delictis lib. 5. qu. 8.* Parexa *de instrum. edit. tit. 7. resol. 6.* licet contrarium teneat Cujacius *lib. 22. observ. c. 15.*

4 e *Quasdam schedulas.*) Sine auctore, & ratione, juxta illud Imperatoris Trajani apud Plinium *lib. 3. epist. 102.* ibi: *Sine auctore vero propositi libelli nulla crimina locum habere debent; nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est.* Et per hujusmodi schedulas, quæ dantur in occulto, non debere judices ad inquisitionem procedere, docuerunt in præsenti Joannes Andreas *n. 6.* Butrius *n. 22.* Abbas *notabil. 2. n. 2.* Anania *n. 62.* prosequuntur Cevallos *lib. 3. pract. qu. 821. nu. 20.* Solorzanus *de jure Indiar. lib. 4. c. 8. n. 37. & lib. 4. polit. c. 10.* Salcedo *ad leg. 60. tit. 4. lib. 2. recopil. n. 2. & 17.* quod & in causis nobilitatis, & puritatis procedere probant Valenzuela *consil. 110. n. 5.* Escobar *de purit. 2. part. qu. 2. per totam.* Sed cum contrarium praxi receptum videamus in Collegiis, Regio Consilio Ordinum, & Tribunalibus Inquisitionis, aliisque communitatibus, quæ sanguinis puritatem exigunt, distinguendum credo inter schedulam datam sine auctore, ubi tantum infectio alicujus exprimitur, simpliciter referendo descendere ex sanguine infecto, vel cum in ipsa schedula ratio, & fundamentum ipsius infectionis exprimitur: primo casu existimo virtute talis schedulæ non posse ad exactiorem inquisitionem procedi, ex præsenti textu. Secundo vero, cum ratio, seu fundamentum assignatur, posse exactiorem inquisitionem fieri ad cognoscendum, an verum sit fundamentum infectionis in schedula expressum. Idem credo observandum esse a Judicibus, Inquisitoribus, seu Visitatoribus, ut videlicet vi simplicis schedulæ, ubi absque auctore narratur aliquod inceduri delictum, non possit judex ad inquisitionem illius delicti procedere, ex hoc textu, & traditis *in cap. 1. de consanguin.* Sed cum fundamenta, & rationes præbentur, ac argumenta, quibus probetur dilatio illa, posse judicem de illo crimine inquirere ad eruendam veritatem, quia si vera sunt fundamenta relata in ipsa schedula, jam vulitatus laborat infamia, quæ justam reddit ipsam inquisitionem.

5 f *Inimicos.*) Quia inimici ab accusatione, & denuntiatione arcentur, juxta tradita supra *in cap. mendicimus.*

COMMENTARIUM.

6 *Conclusio proditur, & probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Crimen probatum per inquisitionem regulariter pœna ordinaria non punitur; sed si impedit ordinis executionem, fit depositio, sicut per accusationem.* Probant eam textus *in cap. dilectus 30. cap. licet Heli, de simonia, cap. 1. hoc tit. in 6.* Illustrant Suarez *de relig. tom. 1. lib. 4. cap. 58. & de censuris disp. 42. sect. 5.* Berojus *in c. qualiter, n. 53.* supra *hoc tit.* Anguianus *de legibus lib. 2. controv. 6.* Arellanus *l. 5. singul. antinom. 1.* Barb. *in select. ad textum in cap. 2. de confessis, n. 4.* Altesserra *hic.*

7 *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Pœnas pro delictis impositas, & incursas judex augere, minuereve non valet, *cap. de causis 4. §. de filiis, de offic. delegat.* ubi illustravi, & late probat Anguianus *lib. 2. de legib. c. 5.* Igitur sive crimen probatum sit in judicio formato per viam accusationis, aut per viam inquisitionis, pœnæ a jure statutæ minuendæ, mutandæve non sunt. Augetur hæc difficultas primo ex nonnullis juris testimoniis, in quibus cum extraordinarie, & per inquisitionem procederetur, pœna ordinaria infligitur, *l. 5. C. de adult.* ibi: *Inquisitione facta comperuit pœna ingeretur:* & *l. 2. §. si publico, ff. ad l. Jul. de adult.* ubi extra ordinem, & sine accusatore fuit in causa processum; & tamen ordinaria lenocinii pœna imposita fuit. Id etiam probatur *ex l. 4. C. de sepulchro violato,* ibi: *Vel ad effutium sanctitas;* & *leg. ordo 8. ff. de public. judic.* ubi etsi maxime extra ordinem crimina probentur, semper imponitur pœna ordinaria: igitur quia nihil interest, an per inquisitionem, an per accusationem crimina in judicio claruerint. Augetur secundo hæc dubitandi ratio ex præsenti textu *in vers. In quo,* ubi Innocentius III. homicidas, & simoniacos æqua iter pœna ordinaria puniendos esse docet, sive per inquisitionem, sive per accusationem procedatur, ergo quia nullum versatur discrimen inter judicium formatum per accusationem, aut per inquisitionem.

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsens assertio: pro cujus expositione sciendum est, inquisitionem dictam esse a verbo *inquiro*, idest intus quæro, seu valde quæro, quasi particula *in*, augeat, ut *in l. Gallus, §. in filio,* ibi: *Indistincte, ff. de liberis & posthum. c. 1.* ibi: *Inferiorum*, juxta communem intellectum, *de sententia.* Et generaliter significat quamcumque, vel cujuscumque rei indagationem, vel investigationem, *c. inquisitionem 26. de elect. c. ult. §. 1. de officio deleg. Clement. 1.* ibi: *Per inquisitionem, eod. tit.* In præsenti tamen prout ad criminalia refertur inquisitio, denotat modum, quo de criminibus agitur, ab accusatione distinctum, vulgo *pesquisa*: in quo sensu variæ definitur per Bartolum *in l. transigere, n. 15. C. de transact.* Felin. *in præsenti rubric. n. 3.* Præpositum *n. 19.* Didacum Perez *in l. 24. tit. 11. l. 4. ordin.* Gigantem *de crimine læsæ Majest. p. 1. q. 8.* Sotum *de tegend. secreto, membr. 2. qu. 6.* Christoph. a Paz *in l. 50. styli,* Guttier. *de delictis, q. 1. n. 1.* a quibus ea definitio adducitur, ut inquisitio sit *criminis, vel criminosi per judicem legitime facta indagatio.* Quæ definitio colligitur *ex l. congruit, ff. de offic. Præsid. l. 4. vers. In mandatis, ff. ad l. Jul. peculat. c. qualiter 12. c. cum oporteat, hoc tit. c. 1. c. Deus, 20. q. 1.* illis verbis: *Criminis, vel criminosi:* quibus includuntur omnes inquisitiones, tam generales, quam speciales, quoad delicta & personas simul, vel quoad alterum illorum: & per eadem verba excluduntur inquisitiones aliæ, quæ non respiciunt crimina, & illorum punitionem, sed res diversas, ut *in l. si vacantia, C. de bonis vacant. lib. 10. c. per inquisitionem, de elect.* Sic etiam per illa verba, *facta indagatio*, agnoscitur differentia inter inquisitionem, & accusationem, quæ est delatio criminis, ut probavi *in c. 1. hoc tit.* inquisitio autem est investigatio: & sicut delatio differt ab investigatione, qua crimen, vel persona non defertur, sed inquiritur; ita accusatio differt ab inquisitione. Deinde accusatio, seu delatio, quamvis fiat in judicio, non tamen fit per judicem, quippe qui non defert, nec ei competit jus deferendi, sed accusatori. Contra vero investigatio, quæ in inquisitione continetur, per judicem fit, ut ei competat investigatio, seu jus inquirendi, *d. l. congruit,* ibi: *Eos conquirere;* & *cap. cum dilecti 18. in princip. cap. qualiter 24.* ibi: *Prælatus procedere ad inquirendum, hoc tit.* Alias differentias prosequitur Berojus *in d. cap. qualiter, n. 5.*

Sed antequam divisiones inquisitionis referamus, examinanda est justitia inquisitionis, & probandus usus procedendi per inquisitionem: nam videtur injustus hic procedendi modus, cum in hoc judicio nullus actor appareat, & ita formale judicium dici non possit, juxta D. Isidorum relatum *in c. forus, de V. S.* ibi: *In omni quoque negotio hæ personæ quæruntur, judex, reus, & tres testes.* Et sine accusatore neminem esse damnandum, vulgo probatur *ex l. rescripto 6. §. si quis accusatorem, ff. de muner. & honor. leg. ult. Cod. de accusat. c. de manifesta 17. vers. judicis 2. q. 1. c. 1. vers. Præterea, ut eccles. benefic.* quod & divino jure satis expressum legimus in Evangelio Joannis *cap. 8. vers. 10.* in illis verbis: *Mulier, ubi sunt qui te accusabant? si nemo te accusat, nec ego te condemno.* Et Actuum Apostol. *c. 25.* ubi Festus provinciæ Præses ad Agrippam Regem, cum adversus Apostolum Paulum tota se effudisset Judæorum rabies, ait: *Ad quos respondi, quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Facit D. Ambrosius relatus *in d. cap. de manifesta,* ibi: *Quia & Dominus Judam, quem furem esse sciebat, sed cum non esset accusatus, minime abjecit.* Et ideo non esse inquirendam in facinorosos, quia medicus nisi accessitus morbos non inquirit, docet Cannaherius *in aphorism. polit. p. 1. pag. 329.* Sed adhuc dicendum est, omni juri conformem esse modum procedendi per inquisitionem; quia cum adest diffamatio, clamor ipse vicem accusatoris gerit. Unde legimus in sacris litteris, ob clamorem hunc inquisita crimina, veluti fratricidii, *Genes. cap. 4.* ibi: *Vox sanguinis clamat ad me de terra quid fecisti?* Sodomorum, *Genes. cap. 19.* ibi: *Clamor Sodomorum.* Oppressionis, *Exodi c. 2. Asinusque clamor.* Et *c. 3.* ibi: *Clamorem audivi fraudata mercedis.* Jure etiam civili inquisita legimus delicta lenocinii *in leg. 2. §. si publico, ff. ad l. Jul. de adul.* Suspecti instrumenti *in l. subornari, C. de probat.* Suspecti tutoris *in leg. 3. §. præterea, ff. de suspect. tutor.* Fraudulosi, aut falsi testis *in l. nullum, C. de calumn.* & generaliter Præsidibus delicta inquirere jubetur *in l. congruit, ff. de offic. Præs. l. 4. §. mandati ff. ad l. Jul. peculat. l. 1. §. quies ff. de offic. Præfect. urb. leg. 3. §. ult. ff. ad l. Jul. de annon.* Ordo autem inquisitionis apud Romanos talis erat. Irenarchæ, curiosi, seu stationarii, latrones, sacrilegos, & alios criminum reos in provinciis conquirebant, de sociisque & receptatoribus interrogabant, interrogationesque literis inclusas & obsignatas ad cognitionem Magistratus mittebant, reique missi cum elogio ex integro audiebantur, non tantum si quis accusator esset, verum etsi accusator non appareret, *l. unquidem 7. C. de accusat. l. Divus 6. ff. de custod. reor. l. 1. C. eod. leg. 1. C. de curiosis, & stat. leg. 6. §. mandatis, ff. ad Turpil.* de quibus Irenarchis agitur *in l. 6. §. Irenarchæ, l. muneram, ff. de muneribus, l. 1. & per totum Cod. de Irenarch. Novell. 8.* Fabius D. August. *epist. 159.* *Irenarcharum, ad quos cuenda publica pacis vigilantia pertinet.* Et *epist. 160.* Plura de eis Alois *ad vitam S. Polycarpi,* Simanchas *de repub. lib. 8. cap. 25.* P. Gregor. *lib. 31. syntagm. cap. 4. num. 1.* Lipsius *epist. qq. cap. 18.* Gutherus *de offic. domus lib. 3. cap. 13.* Cujac. *lib. 8. observ. cap. 19.* Fornerius *lib. 1. rer. quotid. cap. 4.* Ramirez de Prado *in tessera legum, ad leg. super creandis,* Solorzanus *tom. 2. de jure Ind. lib. 1. cap. 26. num. 7.* Gibalin. *tom. 2. de negot. lib. 6. cap. 3. art. 4. n. 7.* notavi *in cap. 1. supr. n. fin.* ubi pro-

8 *De justitia inquisitionis.*

havi

bavi in hoc judicio diffamationem ipsam vicem accusatoris gerere. In jure etiam nostro canonico variæ sunt compilatæ decretales de hac inquisitione sub præsenti titulo *de accus. & inquisitionibus:* ut text. *in c. qualiter 17. c. qualiter 24.* & alii. Jure etiam regio talis inquisitio commendatur *in l. 1. & 6. tit. 1. lib. 8. recopil.* & probant late hunc procedendi modum Bobadilla *lib. 2. polit. c. 13. per totum,* Zypæus *de magistr. lib. 3. c. 9.* plures congesti a Solorzano *2. tomo de jure Indiar. lib. 4. c. 5. n. 6. & conbiemat. 70.*

10 *Inquisitio multiplex.* Deinde sciendum est, inquisitionem hanc aliam dici generalissimam, per textum *in c. sicut olim, & c. c. Romana, de censibus in 6.* quando fit ex mero officio Pontificis, in generali Concilio Primatis, seu Metropolitani, in Concilio nationali, seu provinciali, alia dicitur generalis quoad delicta, & quoad personas, ut cum Præses inquirit in sua provincia reos diversorum delictorum, *leg. congruit, ff. de offic. Præsid.* vel generalis, quoad personas criminosas; specialis vero quoad delictum, ut cum judex inquirit super homicidio, furto, aut simili delicto speciali, *l. 3. §. si tibi judicium, ff. de condict. ob turp.* seu generalis quoad delicta, specialis quoad personas, ut in præsenti textu, quando visitator inquirit in certa Ecclesia ad investigandam aliquod delictum, seu specialis, tam quoad delicta, quam quoad personas, ut cum de certo, & speciali delicto Præses inquirit contra limitatam, & certam personam, juxta textus *in leg. ea quidem, C. de accusat. leg. 2. §. publico, ff. ad leg. Jul. de adult.* prosequuntur Amadeus *in tract. de syndicatu, in num. 6.* Maranta *de ordine judic. 6. p. tit. 1. de inquisit.* Gregor. Lopez *in proœmio, tit. 17. p. 3.* Paz *in praxi, p. 1. n. 7. & 5. p. c. 1. n. 1.* D. Joannes Vela *de modo proced. c. 3. n. 2.* Farinac. *tom. 1. praxis crimin. tit. de inquisit. q. 1. num. 4.* Mosla *in empor. tit. 2. q. 3. n. 45.* Pereyra *de manu Regia, p. 1. tit. 10. a n. 20. & 1. p. c. 56. a n. 9.* Guttierez *de delictis lib. 1. cap. 1.* Fragoso *p. 1. de regim. lib. 5. disp. 12. §. 6.* Omnes tamen supra relatæ inquisitiones ad duas frequenter reducuntur species, generalem scilicet, & specialem, generalis est, in qua ad investiganda delicta, & eorum reos, in genere agitur, de qua *in d. leg. congruit, c. placuit 22. 10. q. 1. c. 1. c. irrefragabili, de offic. ordin. c. sicut olim 25. hoc tit. c. 1. §. sane, de consib. lib. 6.* Trid. *sess. 14. de reform. c. 4.* quæ apud nos lege Regia prohibita est, *l. 1. 2. & 4. tit. 1. recop. l. 8. lib. 8. tit. 12. eod. libro,* sive etiam ad inquirendos criminosos, cum de delicto constat, *leg. eadem 4. §. ult. ff. de condict. ob turp. caus. leg. civile 5. C. de furtis.* Specialis vero est, quæ fit contra aliquem, vel aliquos specialiter nominatos super certo crimine, quod commissum fuisse constat. Docuerunt D. Joseph. Vela *in c. 1. de offic. Ordin. p. 2. n. 163.* Sanchez *lib. 6. consil. c. 3. dub. 16.* Lantdemeter. *lib. 2. de veteri monach. c. 108.* Pichardus *in manuduct. ad prax. p. 3. §. 2.* Inter inquisitionem autem generalem, & specialem magnum versatur discrimen; nam in generali non est necessaria infamia præcedens, sed potest judex ex officio absque accusatore, vel denuntiatore inquirere, an sciant de aliquibus delictis, & criminum reis, de quibus possunt secundum jus denuntiare, aut testificari: In inquisitione vero speciali omnino desideratur infamia, vel ut vehemens aliqua suspicio præcedat, qualis ex generali inquisitione oriri solet, *cap. qualiter 17. & 24. hoc tit. cap. licet Heli, de simonia,* late probat Valenzuela *consil. 161. ex num. 20.* quia cum in hoc judicio non adsit verus accusator, necesse est ut intercedat aliquid, saltem quod in ejus locum subrogetur, nempe fama, quæ loco accusatoris habetur, *dict. cap. qualiter 17.* ibi: *Non tamquam idem sit accusator & judex; sed quasi denuntiante fama, vel deferente clamore, judicium peragatur.* Mancinus *lib. 3. genial. c. 103.* propter scandalum enim ex tali diffamatione resultans totus populus videtur accusare, argumento capitis *Presbyter, cap. si a plebe 13. cap. si mala fama 16. 2. quæst. 4.* D. Thomas *2. 2. quæst. 68. art. 3.* Sotus *de tegend. secret. memb. 2. cap. 6.* Acunna *in cap. de Petro 45. dist.* Guazzinus *in defens. reor. defens. 9. cap. 1.* Certos tamen casus, in quibus nec hæc diffamatio necessaria est, refert Sanchez *dict. cap. 3. dub. 19. per totum,* & quænam argumenta sufficiant ad hanc diffamationem, explicant Pachineus *lib. 9. controvers. cap. 15.* Paz *in d. l. 50. styli,* Guttier. *de delictis, d. quæst. 1.*

11 *Traditur ratio decidendi.* His suppositis apparet ratio præsentis assertionis: nam cum in hoc inquisitionis judicio procedat judex ex officio proprio virtute diffamationis, non vero ad petitionem partis, poterit pro arbitrio augere, vel minuere pœnam impositam pro tali delicto, & cum hoc judicium sit extraordinarium, *cap. quoniam, de probat.* Berojus *in rubric. de judiciis, num. 54.* Decius *ibi, num. 7.* Bossius *in praxi, tit. de inquisit. num. 16.* utpote in quo non adest accusator proprius, qui agat, testesque ante litis contestationem recipiuntur, contra dicta *in c. 1. ut lite non contest.* & alia extra ordinem judiciorum adhibeantur, merito ei extraordinaria pœna imponenda est pro arbitrio judicis. Hodie tamen cum adeo judicium hoc per inquisitionem usitatum sit, ut pene ordinarium ratione consuetudinis dici possit, imponitur pœna ordinaria etiam a judice procedente per viam inquisitionis, ac si procedit interpellatus ab accusatore, ut notat Anguianus *de legibus lib. 2. cap. 6. num. fin.*

12 *Dissolvitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam verum est, judicem in causa criminali, ubi adest accusator, & ordinario modo proceditur, non habere arbitrium, seu facultatem augendi, minuendive pœnam delicto impositam; at vero in præsenti agimus de judicio extraordinario, in quo judex extra ordinem procedit, quo casu non ordinaria pœna, sed extraordinaria imponenda est, juxta supra tradita. Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis, deductum *ex d. leg. 2. ff. ad leg. Jul. de adult. leg. 5. Cod. de adulter.* cum aliis, pro cujus solutione Abbas *hic n. 8.* Felinus *n. 3.* quos refert, & sequitur Tiraq. *de pœn. temper. caus. 53. n. 2.* discrimen assignarunt inter jus canonicum, & civile, ut hoc cum sit gratia, & misericordia plenum, finemque tantum supernaturalem intendat mitiores & leviores pœnas semper injungat, quoties sine accusatore proceditur, & negotium criminale per viam inquisitionis agitatur; jus vero civile, utpote strictius, & profanum, eamdem ordinariam infligendam pœnam esse decrevit, sive procedatur per inquisitionem, sive per accusationem. Sed merito eos refellit Anguianus *lib. 2. de legibus, c. 6. n. 8.* nam æque hoc judicium inquisitionis extraordinarium est jure canonico, ac jure civili; unde si jure Pontificio attento, quia in eo judicio extraordinarie proceditur sine accusatore, pœna extraordinaria imponitur, etiam jure civili, quia extraordinarie per inquisitionem judex cognoscit, extraordinariæ pœnæ locus esse debet. Quare hac sententia omissa dicendum est nullum in hac parte versari discrimen inter jus canonicum, & civile, & ut difficultati satisfaciamus, textus in ea adducti sigillatim explicandi sunt, non enim obstat textus *in d. l. 2. §. ex publico;* nam in eo Ulpianus tantum refert Imperatorem Severum damnasse Claudium Equitem illustrem pœna lenocinii, quia uxorem in adulterio deprehensam retinuerat: non tamen exprimitur, an pœna ordinaria, vel extraordinaria; imo facile ex ipsa facti serie deducitur, pœna extraordinaria ipsum affectum fuisse, ut notavit Anguianus supra, *n. 24.* Similiter dum *in l. 5. Cod. de adult.* in judicio extraordinario competens pœna injungi præcipitur, per pœnam competentem satis innuitur, non ordinariam, sed extraordinariam imponendam esse. Nec etiam obstat dicta lex *4. C. de sepulchro viol.* nam facile ex illis verbis, *quæ sunt prisca severitati accedit,* aperte deducitur, pœnam ibi impositam, non esse ordinariam & propriam criminis sepulchri violati, sed potius illi accedere. Nec etiam obstat textus *in d. l. ordo 8.* nam in eo Paulus non agit de judicio inquisitionis, sed tantum asserit delicta esse punienda, etsi extraordinarie probentur, hoc est abrogatis scrupulosis formulis judiciorum, quia eo tempore jam omnia judicia extraordinaria erant. Nec obstat aliud augmentum dubitandi rationis, deductum ex præsenti textu, cui ut satisfaciat Anguianus *d. c. 6. n. penult.* ex Abbate, & Innoc. in præsenti, affirmat ea verba, *sicut in accusationis judicio*, esse accipienda de modo procedendi in illis casibus, videlicet ut processus formetur, sicut cum proceditur per viam accusationis, non vero quia ibi affirmet Pontifex, pœnam esse infligendam, cum proceditur per accusationem, ac si per inquisitionem procederetur. Verum hæc solutio satis refellitur ex ipso dubio, cui satisfacere intendebat Pontifex; consultus enim Innocentius fuerat, an in delictis, quæ per inquisitionem claruerant, imponenda esset pœna extraordinaria, & tunc respondet sub ea distinctione, ut in casibus homicidii, & simoniæ eadem pœna imponatur, ac infligitur cum per accusationem proceditur, in aliis vero delictis posse judicem pœnas pro arbitrio moderari: quare ea sententia omissa, verius dicendum est, quod licet cum proceditur per inquisitionem imponenda sit pœna extraordinaria, tamen cum delictum commissum fuit homicidium, vel simonia, ordinaria imponenda est. Ratio hujus discriminis ex eo provenit, nam in his duobus delictis pœna suspensionis ipso jure incurritur, ita ut necessaria sit sententia declaratoria, ut beneficium pro vacante habeatur, ut probat Suarez *ubi supra,* tamen ipso jure reus suspenditur ab officio, & pœnam in utroque delicto incurrit, adeo ut si postea pœnituerit, nihilominus Missam celebrare non possit, ut de homicida probatur *in c. fin. de tempor. ordin. c. sicut dignum, de homicid. c. in quibusdam, de pœnis, c. miror, 50. dist.* de simoniaco *in c. accusatam 4. quæritur 5. de simon.* Unde cum in eis casibus, sive procedatur per accusationem, sive per inquisitionem, vel sententia tantum sit declaratoria pœnæ incursæ ob homicidium, vel ob simoniam; ideo judex nullam habet facultatem moderandi, minuendive pœnam jam incursam, ut docuit Luna, & Arellanus *lib. 5. singul. antinom. 1.* Nec tunc obstat caput *dilectus 30. de simon.* ubi delictum simoniæ diverso modo punitur, si per inquisitionem, ac si per accusationem in judicium deducatur; nam ejus veram interpretationem dabimus in ejus commentario.

13 *Exponitur c. 2. de confessis.* Ex qua doctrina exponendus est textus *in c. 2. de confessis,* qui contra præsentem assertionem communiter expendi solet. In ejus specie Canonicus Bethlemitanus, qui simoniam perpetraverat, absque accusatore, & extraordinarie detectus punitur pœna ordinaria simoniaci: igitur quia in judicio extraordinario inquisitionis pœna ordinaria imponenda est. Pro cujus textus expositione varia adduxit Anguianus *d. l. 2. de legibus, c. 2. n. 22.* quibus omissis dicendum est, quod cum delictum, quod in eo textu incidenter claruerat, esset simonia, & in hoc delicto, etsi per inquisitionem procedatur, imponenda sit pœna ordinaria juxta supra tradita, & docent Hallier. *de sacris elect. sect. 7. art. 3. §. 4.* Berojus *in c. qualiter 24. n. 53. hoc tit.* ideo in ea specie pœna ordinaria imponitur, seu potius declaratur, pœnam suspensionis ab officio, & depositionis a beneficio ipsum Canonicum contraxisse. Accedit quod in eo textu processum fuit per viam notorii, mediante confessione in jure facta: unde necessario imponen-

ponen-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

ponenda erat pœna ordinaria, ut *in c. tua, de pœnis c. cum non ab homine, de judic.*

Secundo opponi solet præsenti assertioni textus *in c. fin. de celebr. Missar.* ubi cum per inquisitionem ageretur contra clericum, & constaret ipsum in pane fermentato, & scypho ligneo, sine igne, & aqua celebrasse, deponitur ab officio, & beneficio, qua pœna afficiendus erat, si per accusationem in judicium deferretur: igitur quia cum proceditur per modum inquisitionis, mitior pœna imponenda est. Cui difficultati communiter respondetur, in eo textu presbyterum ipsum crimen illud confessum fuisse in judicio, & ita ob propriam confessionem in judicio factam pœna ordinaria ipsum affici: ita Berojus *in d. c. qualiter* 14. n. 54. Sed hæc solutio facile convincitur ex eo, nam etsi clericus in ea specie fateretur delictum, tamen per modum inquisitionis procedebatur: unde juxta præsentem textum pœna ordinaria imponenda non erat. Quare ea solutione omissa, & alia Beroii, qui depositionem illam accipit pro depositione non ab ordine sacro, sed ab officio ecclesiastico, dicendum est, pro criminibus a presbytero in ea specie admissis, non unam pœnam, sed varias a jure constitutas esse, ut ex canonibus in ejus commentario congestis apparet: unde Summus Pontifex, ut eum debite puniret pro tantis excessibus ex malitia, vel nimia ignorantia admissis, eum deponendum esse ab officio, & beneficio jussit, quia Pontifex potest illam, vel aliam majorem pœnam imponere, c. 1. & 2. *ibid.*

Ex supra traditis accipit lucem textus *in c. ex tenore, de rescript.* ubi cum per viam inquisitionis procederetur contra Episcopum, eo quod furem suspendere jussisset indicta illi prius purgatione vulgari ferri candentis, ut Pontifex, quod cum ita graviter deliquerit, officio illum esse privandum, & quia sine officio beneficium retineri non potest, ipsum ab officio esse removendum. Ex quo textu deducitur, quod etiam cum proceditur per inquisitionem, pœna ordinaria imponenda est, siquidem eo casu ob suspensionem furis eadem pœna erat afficiendus Episcopus, ex traditis *in c. sententiam, ne cleric. vel monach.* Sed ejus textus vera ratio ex præsenti textu & supra traditis provenit: nam cum in eo textu agatur de pœna homicidii ob defectum lenitatis admissi, propter quod etiam pœnitentia facta, Episcopus non poterat retinere officium; ideo docet Pontifex pœnam ordinariam locum habere, & ipsum Episcopum ab officio suspensum, etiam ab Episcopatu esse amovendum, cum eo casu etiam pœnitentia facta semper Episcopus maneret irregularis, & per consequens cum celebrare non posset, nec Episcopatum retinere valebat. 15

C A P U T XXII.

a *Silvanectensi Episcopo, & Abbati* b *Latiniacensi, Parisiensis Diœcesis, & Decano Silvanectensi.*

AD petitionem Vualteri quondam monasterii c Corbejensis Abbatis, dilecto filio Magistro Scholarum, & Magistris R. de d Corzon, & P. Canonicis, e Noviomensibus ejusdem loci, a nobis dudum correctione commissa, ipsi his ad idem monasterium accedentes, quibusdam correctis, ibidem nonnulla, quæ statuenda fuerant, statuerunt, inquisitionis instantiam quorumdam impediente malitia retardando. Ad quorum contumaciam reprimendam sæculare intendebant brachium f invocare. Verum dilectus filius noster G. g sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, interim ad idem veniens monasterium, supradicto Vualtero præsente, nec reclamante, super statu monasterii memorati cœpit inquirere diligenter, & cum inquisitione finita prædictum Vu. Parisios evocasset, propositurum contra inquisitionem eamdem, si quid rationabiliter duceret proponendum, idem Vu. præsentiam ejus adiens allegavit, quod in monasterii correctione procedere non valebat, quæ prædictis judicibus prius fuerat auctoritate nostra commissa, & Cardinalem ipsum ex justis causis se asserens habere suspectum, vocem ad nos appellationis emisit. Porro Cardinalis inspectis his, quæ probata fuerunt contra eum, de consilio peritorum ipsum amovit a regimine Abbatiæ, dando h fratribus ejusdem loci liberam facultatem alium eligendi. Qui dilectum filium Joann. Abbatem Corbejensem, tunc Priorem de i Argentolio, virum providum, & honestum elegerunt concorditer in Abbatem. Cum autem dictus Vu. postmodum ad Sedem Apostolicam accessisset, asserens se per Cardinalem ipsum quorumdam falsis suggestionibus circumventum, ab Abbatia sine rationabili causa remotum: Nos ejusdem cœnobii tranquillitati paterna sollicitudine providere volentes, venerab. fratrib. nostris j Archiepiscopo Rhemensi, & k Atrebatensi Episcopo dedimus in mandatis, ut ad l compositionem inter eumdem Vu. & substitutum ei, darent studium & operam efficacem. Alioquin tam per jamdictum Legatum, quam per alios inquirerent diligentius veritatem, & eam nobis usque ad Festum S. Remigii proximo tunc venturum, fideliter intimarent, ut per eorum relationem certiores effecti, procederemus in eodem negotio, prout procedendum utilius videremus. Qui cum super reformatione pacis proficere nequivissent, sicut ex litteris eorum accepimus, processerunt ad inquirendum super præmissis omnibus veritatem, testibus ab utraque parte receptis, & ea quæ tam per se, quam per Cardinalis inquisitionem invenerant, nobis sub sigillis propriis transmiserunt. Nuper autem præfatis Vu. atque I. in nostra propter hoc præsentia constitutis, idem Vu. quod a Legato post appellationem ad nos interpositam factum fuerat, petiit revocari, allegans quod cum correctio monasterii fuerit judicibus memoratis injuncta, & ipsi quibusdam correctis, & nonnullis statutis ibidem, aliorum correctionem ex causa duxerint rationabili differendam, Cardinalis interim de jure non potuit procedere ad eamdem, cum, generale mandatum non m deroget speciali. Ad quod fuit ex adverso responsum, quod cum Vu. præsente, nec reclamante, ad inquisitionem processerit Cardinalis, idem Vu. videtur in hoc tacite consensisse, ut inquisitione facta corrigeret Cardinalis, quæ corrigenda videret. Contra quod idem Vu. taliter proponebat, quod licet statim ut cœpit inquirere Cardinalis, non duxerit reclamandum, credens eum nolle procedere contra ipsum, sed absque sui gravamine aliquid in Ecclesia utiliter ordinare, postquam tamen evocatus ab ipso cognovit, quod adversus eum procedere intendebat, ejus declinavit examen, ad nostram audientiam appellando. Proposuit insuper pars adversa, quod cum prædicti judices omisissent in monasterii correctione procedere, & periculum traheret ad se mora, Cardinalis ipse, ad quem spectabat ex injuncto sibi legationis officio cura ejus, ad reformationem ipsius loci interponere potuit partes suas. Cum enim secundum juris civilis auctoritatem, in illis, etiam casibus, in quibus solemnis ordo judiciarius observatur, in criminali causa n ultra biennium a contestatione litis non sit ejus instantia protrahenda, & nos o quoque consulti, quamdiu delegatus a nobis, qui sententiam tulerat, jurisdictionem suam interponere valeat, ut sententiæ pareatur, respondisse noscamur, quod usque ad annum integrum jurisdictionem sibi commissam ad exequendum sententiam valeat exercere: dictis judicibus differentibus in correctione procedere, cum jam decem & septem essent menses elapsi, ex quo noscuntur mandatum Apostolicum recepisse, ac de criminibus inquirere, licet, non criminaliter ageretur, correctioni non immerito Cardin. insistere potuit memoratæ. Sed ad hoc altera pars respondit, quod hoc colorem excusationis haberet, si prædicti judices a Legato commoniti ad correctionem procedere neglexissent. In quo casu eorum forte defectus per diligentiam potuisset Legati suppleri, sicut de Metropolitano in canonibus legitur, quod tunc demum ea potest facere, quæ ad Suffraganeos pertinent, cum illa Suffraganei p negligunt adimplere. His igitur, & aliis quæ utraque pars proponere curavit, auditis, & inquisitione utraque, Cardinalis videlicet, & Archiepiscopi prædictorum diligenter inspecta, intelleximus ex depositionibus juratorum, quod cum tempore promotionis ipsius Vu. octo millium librarum monasterium gravaretur, & non multo tempore post idem debitum usque ad duo millia librarum fuerit diminutum, nunc tamen usque ad sex millium librarum summam excrevit; cum, sicut prius contigerat, de proventibus monasterii debitum potius diminui debuerit, quam augeri, nisi Rectoris incuria obstitisset. Et quamvis ad excusationem suam proposuerit idem Vu. quod propter expensas factas in causa, quam contra Cluniacense monasterium habuit, in qua quemdam Prioratum evicit, idem fuerat debitum augmentatum, fuit tamen ei ex adverso responsum, quod propter expensas illas debitum interim augmentari non debuit, cum propter hoc possessiones quasdam ejusdem obligaverit Prioratus maxime cum in ejusdem prosecutione negotii vix expensæ fuerint mille libræ. Adjecit etiam dictus Vu. quod occasione cujusdam domus, quam in villa Corbej. de novo construxerat, debitum supradictum excrevit. Ad quod pars adversa respondit, quod ex proventibus monasterii expensas hujusmodi facere potuit absque onere debitorum, præsertim cum propter hoc non modicum auxilium a q Burgensibus fuerit eidem impensum. Præterea cum ex confessione ipsius constiterit, quod in Capitulo præstiterat juramentum, ne debitum de novo contraheret, ac postea contraxerit debitum contra juramentum proprium veniendo, sicut testes deponunt, argui de perjurio videbatur. Ad quod idem Vu. hoc modo respondit, quod etsi primo hujusmodi præstiterit juramentum, postea tamen quoddam factum fuit in Capitulo constitutum, per quod juramentum ipsum

ipsum exstitit relaxatum. Sed contra hoc pars altera replicavit, quia cum non constiterit, quod per tale statutum revocatum fuerit juramentum, & appareat eumdem Vu. non solummodo juramentum de debito non contrahendo præstitisse, sed venisse postea contra illud; manifeste liquebat, ipsum reatum perjurii incurrisse: sed & ipsius insufficientia & negligentia dissoluta videbantur manifeste probari. Et quamquam aliqui testium eum, quantum in se, dixerint esse bonum, nulli tamen deposuerunt expresse, quod utilis esset ejus provisio monasterio sæpedicto. Cum ergo nobis de talibus fuerit sufficiens in tali negotio facta fides, propter quæ præfatus Vu. erat merito amovendus, etsi restituendus foret propter judiciarium ordinem non servatum, ob causas tamen prædictas ipsum providimus manere privatum regimine Abbatiæ; Joannem nihilominus supradictum, quem pro eo, quod præfato Vu. propter juris ordinem non servatum quodammodo inordinate remoto, intelleximus ob eamdem causam per consequentiam minus legitime substitutum, per sententiam amoventes, quem quia non propter personæ vitium, vel defectum, sed propter juris r solemnitatem, sicut præmissum est, prætermissam amovimus, ipsum postmodum restituimus in Abbatem, & memorato Vu. in loco, qui dicitur Guidon, cum pertinentiis suis in Imperio constitutis, jussimus provideri. Ita videlicet, quod ibi cum uno Corbejensi monacho commoretur, & censum quinque marcharum ad pondus Coloniense, in festo Purificationis Beatæ Virginis, Abbati & successoribus suis annuatim persolvat, & personatibus, ac Ecclesiis ejusdem Ballivæ, jamdicti Abbatis & successorum suorum donationi liberæ reservatis, eisdem fidelitates, & homagia liberorum hominum eorumdem locorum debeant exhiberi. Ac in juramento fidelitatis, quod eisdem fuerit præstitum, exprimetur, quod iidem homines supradictum Vu. super suæ provisionis proventibus nullatenus damnificare præsumant, ita videlicet, quod & ipse Vu. super indemnitate prædictæ Ballivæ, ne ipsam dilapidet, corporale præbeat juramentum. Si quid autem post sententiam nostram super utriusque amotione prolatam, circa electionem Abbatis, quam in prolatione ipsius sententiæ nostræ duximus providentiæ reservandam, a Corbejensibus monachis, vel quolibet alio, in ejusdem Abbatis præjudicium fuerit attentatum, id decernimus non valere. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod a nobis est pro ipsius Monasterii utilitate provisum, faciatis appellatione remota inviolabiliter observari, corrigentes circa Priorem, & Monachos, & Prioratus Monasterii memorati, cum consilio Abbatis ipsius, quæ secundum Deum, & B. Benedicti regulam fuerint corrigenda, & statuentes ibidem quod regulare fuerit, & honestum, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani 7. Kal. Martii, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

N O T Æ.

1 a *Silvanectensi.*] Ita restituo inscriptionem, & integram epistolam ex epistolis Innocentii III. editis a Bolqueto *lib. 1. regestr. 13. epist. 1.* Silvanectensis civitas Galliæ ita dicta a Silva Regia, quæ illam circumdabat, habet Ecclesiam Cathedralem suffraganeam Archiepiscopi Rhemensis, cui sanctus Dionysius Areopagita sanctum Regulum ejus discipulum primum Episcopum designavit, notatur *in cap. ex parte, de rescriptis.* In præsenti rescribit Innocentius Gaufrido ejus Præsuli 51. de quo hæc Rigordus ad annum 1213. *Gaufridus Silvanectensis Episcopus sentiens se tam ætate, quam corpulentia ponderosa insufficientem esse, quod jam per viginti annos peroptaverat, impetrato a summo Pontifice, sicut in jure cautum est, licentia, renunciavit Episcopatui, & transtulit se ad monachos Caroli loci Cisterc. Ordinis.*

2 b *Latiniacensi.*] Latiniacum percelebre monasterium est Ordinis D. Benedicti, in diœcesi Parisiensi, constructum a sancto Furseo ejus primo Abbate anno Christi 648. exemptum ab omni jurisdictione, immediate paret Romano Pontifici, & ejus Abbas Dynasta dicitur, ut referunt Yepes *tom. 2. Chron. D. Benedicti, anno 648. c. 2.* Chopinus *lib. 1. de sacr. Pol. tit. 4. n. 17.* Chartam fundationis referunt Sammarth. *t. 4. Galliæ Christ. verbo Latiniacum.*

3 c *Corbejense.*] Duplex est monasterium Corbejense Ordinis D. Benedicti, aliud novum in Saxonia, de quo egi *in c. cum venerabilis, de consuet.* aliud vetus in Francia, in diœcesi Ambianensi, fundatum a sancta Batilde vidua Clodovei II. Christianissimi Regis, sub titulo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, dictum Corbejense a pago, in quo ædificatum fuit; olim opulentissimum fuerat, & ab omni jurisdictione exemptum per nostrum Innocentium III. cujus exemptionis litteras refert Yepes *t. 2. chron. D. Bened. in appendice*, qui plura de eodem monasterio adducit *anno 662.*

d *R. de Corzon.*] Robertus videlicet, qui Canonicus Parisiensis, creatus fuit Cardinalis tituli Sancti Stephani in Cœlio monte, ut constat ex epist. 150. Innoc. III. *l. 1. regestr. 13.*

4 e *Noviomensibus.*] De Noviomensi Belgarum diœcesi egi *in c. 3. de delict. puer.*

f *Invocare.*] Juxta tradita *in c. 1. de offic. judic.*

g *G. sanctæ Mariæ in Porticu.*] Hic est Guallus, de quo Rigordus in vita Philippi Augusti, anno 1208. ait: *Innocentius Papa III. misit Legatum in Franciam Guallum sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem, juris peritum, bonis moribus ornatum, omnium Ecclesiarum visitatorem diligentissimum.* Postea fuit creatus presbyter Cardinalis tituli sancti Martini, ut notavit Bolquetus *in præsenti.*

h *Fratribus ejusdem loci.*] Quibus competebat electio Abbatis ipsius monasterii, ut constat ex epistola Nicolai Pontificis, quam refert Yepes *t. 3. chron. D. Benedicti, in appendice.*

i *Argentolio.*] De quo Prioratu egi *in c. 1. de exceptionibus.*

j *Archiepiscopo.* Guidoni videlicet. De Rhemensi Metropoli nonnulla notavi *in c. 2. de appellat.*

k *Atrebatensi.*] Rodulfo videlicet, de quo, & ea diœcesi egi *in cap. 13. de arbitris.*

l *Compositionem.*] Ad quam non solum judices ecclesiastici partes debent inducere, verum & aliquando cogere, ut *in c. 16. de electione*, ubi probavi.

m *Non deroget speciali.*] *Cap. Judaïsti 2. de offic. delegat.* imo e contra speciale derogat generali, ut probavi *in c. 1. de rescript.*

n *Ultra biennium.*] Ut probavi *in c. de causis 4. de offic. deleg.*

o *Nos quoque consulti.*] *In c. quærenti 26. de offic. deleg.*

p *Negligunt adimplere.*] Juxta tradita *in cap. Pastoralis, de offic. Ordin.*

q *Burgensibus.*] Burgenses qui dicantur, exposui *in c. Abbate, de his quæ vi, metusve causa fiunt.*

r *Propter juris solemnitatem.*] Et ita recte poterat iterum eligi, juxta tradita *in cap. super eo, de elect.*

C O M M E N T A R I U M.

CUm de hujus textus integritate parum curassent repetentes, varia, & prorsus aliena ab Innocentii mente in præsenti docuerunt; illudque eis præcipue in hac Decretali difficile visum est, quomodo videlicet Pontifex, qui tenetur ordinem judiciorum servare, *c. in causis 19. de re judic.* confirmavit sententiam privationis Abbatis Corbejensis, impositæ a Cardinali Legato, judiciario ordine non servato, & etiam confirmavit electionem Joannis, qui non potuit in locum Vu. substitui, si ille defectus fuit juris ordine prætermisso. Quod autem juris ordo servatus non fuit, patet; nam Cardinalis Legatus, de quo in hoc textu, non erat judex competens ad depositionem Abbatis. Primo, quia inquisitio fuerat specialiter commissa Canonicis Noviodun. Unde Legatus in ea procedere non potuit, *ex cap. Judaïsti 2. de offic. deleg.* Secundo, quia fuerat tamquam suspectus recusatus, & simul appellatio ab eodem interposita, ob quas causas suspenditur judicis potestas, *cap. si quis 4. de foro compet. cap. cum speciali 61. in princip. de appellat.* Ex actis vero coram judice incompetenti non potest ferri sententia per alium judicem, ad quem causæ cognitio pertinet, *cap. at si Clerici, de judiciis.* Cui difficultati ut satisfaciant, Glossa *in præsenti, verbo Providimus*, Ananias, *n. 2.* Pereyra *de manu reg. pag. 1. c. 4. nu. 7.* docent Pontificem de plenitudine potestatis posse judicare sola veritate attenta, & omisso judiciorum ordine. Sed hæc sententia convincitur tum ex add. *cap. in causis*, tum quia Princeps non debet judiciorum ordinem prætermittere, & eorum solemnitatem relaxare, nisi ex justa & necessaria causa. Barbosa *in præsenti nu. 34.* docet sententiam Innocentii in præsenti justificari ex actis gestis ante recusationem, & appellationem. Sed hæc sententia præterquam quod divinatoria est, convincitur, quia per præventionem factam a judicibus delegatis incompetens effectus fuit Cardinalis Legatus; & ideo de causa agnoscens juris ordinem prætermisit, *l. juris ordinem, Cod. de jurisdict.* Quare his omissis sententiis decidendum est, Innocentium in præsenti casu judiciarium ordinem servasse, & per legitimos tramites approbasse sententiam privationis, quam tulerat Cardinalis Legatus, quia in ipsa instantia appellationis coram ipso fides facta fuit criminum, & excessuum, quæ coram Cardinali objecta, & probata fuerant contra Abbatem spoliatum, ut constat ex versiculo *cum igitur*, hujus textus. Unde non imponitur pœna privationis, nec confirmatur electio secundi Abbatis, propter acta gesta prætermisso judiciorum ordine, sed propter acta legitime ordinata in instantia appellationis, quam praxim agnoverunt, & probarunt Bartol. *in l. 1. num. 12. Cod. quando provocare*, Alex. *lib. 6. consil. 181. num. 14.* Valascus *de part. cap. 39. num. 74.* & eadem ratione, sicut confirmatur ab Innocentio depositio prioris Abbatis, ita etiam approbatur nova electio secundi, quia licet in principio ordinate facta fuisset, prætermisso legitimo judiciorum ordine, tamen in plenario appellationis judicio Pontifex ex novis actis depositionem unius, & electionem alterius confirmavit. 5

CA-

C A P U T XXIII.

a Innoc. III. *In registro*.

ACcedens ad præsentiam nostram G. *b* nepos quondam Subd. n. H. sua nobis quæstione monstravit, quod cum dil. fil. noster H. Subd. apud Sed. Ap. viam universæ carnis ingressus fuisset, præbendam, quam decedens habuerat in Ecclesia *c* Crem. ei duximus *d* conferendam, ven. f. n. H. Episcopo & dilectis f. Capitulo Ecclesiæ Cremon. injungentes, ut eum in fratrem reciperent, & tam *e* stallum in Choro, quam locum in Capitulo, & præbendam eamdem ipsi sine difficultate aliqua assignarent: tibi etiam, fili Archid. & dil. fil. Præposito sanctæ Agathæ dedimus in mandatis, ut si Episcopus, & Canonici mandatum Ap. non implerent, vos illud sublato appellationis obstaculo exequi curaretis, contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione remota compescentes. Cumque tu, & idem Præpositus, sicut ex litteris vestris accepimus, monuissetis Episcopum, & Canonicos Cremon. ad mandatum Ap. exequendum, ipsi asseruerunt nostras litteras per veri suppressionem obtentas, cum vivente adhuc Subd. prædicto, filium cujusdam nobilis civis Crem. in Canonicum recepissent, & promisissent proximam præbendam vacaturam. Adjecerunt etiam, quod ante receptionem litterarum nostrarum nuncium suum ad Sed. Ap. destinarunt, & ideo ne procederetis ulterius, ad audientiam nostram appellarunt. Juvenis etiam, cui per Episcopum, & Canonicos eadem fuerat præbenda concessa, duxit ad audientiam nostram proclamandum, unde vos non processistis ulterius, sed quæ acta fuerant, per vestras nobis litteras intimastis. Igitur petebat memoratus G. ut ex eo, quod Canonici contra *f* Later. Concil. fecerant, impediri non pateremur nostræ concessionis effectum, sed præbendam ipsam faceremus eum pacifice possidere, quæ si fuisset etiam juveni memorato concessa, debebat tamen nostra concessio, quæ præcesserat, prævalere. Verum dil. fil. Bonus Joannes prædictorum Canonicorum & Episcopi nuntius, proposuit, quod prius quam ad eos mandatum Ap. emanasset, præbendam ipsam juveni concesserant memorato, & subjunxit, quod dictus G. super homicidio, & perjurio infamia publica laborabat: unde non solum admittendus non erat ad Crem. Ecclesiam, sed ejiciendus potius etiam dum fuisset *g* admissus. Episcopus quoque per suas nobis litteras intimavit, quod cum pro eodem G. litteras Ap. recepisset, ei consuluit, ut etsi conscientia salva posset, tamen saltem de perjurio, & homicidio se purgaret, nisi contra eum appareat *h* legitimus accusator: sed ipse purgationem præstare noluit, nec offerre. Nos igitur attendentes, quod si filius nobilis memorati, sicut Episcopi, & Canonicorum Crem. & executorum nostrorum litteræ attestabantur, fuit contra Later. Concilium ad proximam vacaturam admissus, et postmodum acceperunt, non vacantem, cum prius quam de morte Subd. ad Crem. certus nuntius pervenire potuisset, prædictam præbendam concesserimus prædicto G. d. v. per Ap. sc. mandamus quatenus quod de præmisso juvene factum est, denuntietis irritum & inane, ac nisi præfatus clericus super prædictis criminibus publice fuerit infamatus, concessionem nostram sibi factam per cens. eccl. ap. rem. executioni mandetis. Denuum si legitimus accusator apparuerit, auditis quæ fuerint hinc inde *i* proposita, etsi prædicta crimina, vel eorum aliquod legitime fuerint probata, ipsis super eadem præbenda perpetuum silentium ap. postposita imponatis. Quod si probare nequiverint, eam sibi auctoritate Ap. confirmetis: si vero contra eum legitimus non apparuerit accusator, si ipse super prædictis criminibus dignoscitur fama respersus, purgationem ei canonicam indicetis, in qua si forte defecerit, perpetuum silentium ei imponere curetis, si autem præstiterit ipsam, contradictores ab ejus molestia compescatis, & eos, qui nisi sunt eum impedire, in expensis ipsi legitimis condemnetis.

N O T Æ.

1 a IDem.) In quarta collectione, *sub tit. de concess. præbend. cap.* 3. reperitur textus hic, prout in præsenti transcribitur, sub hac inscriptione: *Innoc. III. in regestr.* Sed esti sedulo legas regestrum epistolarum ipsius Pontificis editum Coloniæ, & correctum a Cardinali Sirleto, & editum a Bosqueto, non reperies præsentem epistolam, quia spectat ad libros regestri, qui adhuc non prodierunt, quare cognosci non potest cui Archidiacono rescribat Pontifex, licet ex textus serie facile deducatur, rescribere Archidiacono Cremon.

2 b *Nepos.*) Idest filius fratris, qui non prohibetur in beneficio patrui virtute novæ electionis succedere, *cap. de multis, cap. ex parte, de offic. deleg.* ubi notavi.

c *Cremon.* De Cremonensi Ecclesia egi *in cap.* 2. *de præb. non bapt.* 3

d *Conferendam.*) Quia omnia beneficia vacantia in Curia, jam olim conferebantur a Romano Pontifice, ut hodie conferantur virtute regulæ Cancellariæ, quam exponit Gonzalez *gloss.* 51. *ad regul.* 8.

e *Stallum.*) De stallo egi *in c. de renunciat.*

f *Lateran. Concilium.*) Relatum *in c.* 2. *de concess. præb.*

g *Admissus.*) Quia tam homicida, quam perjurus privantur beneficiis jam obtentis, *ut probavi in c.* 2. *de rescript.*

h *Legitimus accusator.*) Quisnam ille sit, exposui *in c.* 1. *hoc tit.*

i *Proposita.*) Quia in præsenti G. agebat remedio adipiscendæ possessionis, unde hujusmodi exceptiones admittuntur, quia infamatus de his delictis dicebatur, *c. constitutus, de appell.* 4

C A P U T XXIV.

Idem *in Concilio a Generali*.

QUaliter, & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus veteris, & novi Testamenti colligitur evidenter, ex quibus postea processerunt canonicæ sanctiones, sicut olim aperte *b* distinximus, & nunc sacri approbatione Concilii confirmamus. Legitur enim in Evangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris amplius villicare. Et in Genesi Dominus ait: Descendam, videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Ex quibus auctoritatibus manifeste probatur, quod non solum cum subditus, verum etiam cum Prælatus excedit, si per clamorem, & famam ad aures superioris pervenerit, non quidem a *c* malevolis, & maledicis, sed a providis & honestis, non semel tantum, sed sæpe, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet coram Ecclesiæ *d* senioribus veritatem diligentius perscrutari, ut (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis, non tamquam idem sit accusator & judex, sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore officii debitum exequatur. Licet autem hoc sit observandum in subditis, diligentius tamen est observandum in Prælatis, quia quasi signum sunt positi ad sagittam, & quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. Et ideo sancti Patres provide statuerunt, ut accusatio Prælatorum non facile admittatur, ne concussis columnis, corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsæ, sed etiam malignæ criminationi janua precludatur. Verum ita voluerunt providere Prælatis, ne criminarentur injuste, ut tamen caverent, ne delinquerent insolenter, contra morbum utrumque invenientes medicinam congruam, videlicet ut criminalis accusatio, quæ ad diminutionem capitis, idest degradationem, intenditur, nisi legitima præcedat inscriptio, nullatenus admittatur. Sed cum super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, ut jam clamor ascendat, qui diutius sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum, & puniendum ejus excessus, non ex odii fomite, sed charitatis procedatur affectu, quatenus si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoveatur omnino, quod est secundum sententiam evangelicam a villicatione villicum amoveri, qui non potest villicationis suæ dignam reddere rationem. Debet igitur esse præsens is, *e* contra quem facienda est inquisitio, nisi se per *f* contumaciam absentaverit, & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum, & non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (ut quid, & a quo sit dictum, appareat) *g* publicanda, necnon exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ, ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum vero exclusionem, deponendi falsum audacia præbeatur. Ad corrigendos itaque subditorum excessus, tanto diligentius debet Prælatus assurgere, quanto

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

to damnabilius eorum offensas desereret incorrectas. Contra quos, ut de notoriis excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denunciationem, & inquisitionem ipsorum, ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per leve compendium ad grave dispendium veniatur, sicut accusationem legitima debet præcedere *h* inscriptio, sic & denuntiationem *i* charitativa monitio, & inquisitionem *k* clamosa insinuatio prævenire; illo semper adhibito moderamine, ut juxta formam judicii sententiæ quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus usquequaque servandum, quæ (cum causa requirit) facilius, & liberius a suis possunt administrationibus amoveri.

N O T Æ.

1 a GEnerali.) Lateranensi videlicet celebrato sub Innocentio III. *c.* 8. ubi reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. c.* 4. De hoc Concilio nonnulla notavi *in c.* 1. *de Summa Trinit.*

b *Distinximus.*) *In c. qualiter, hoc tit.* ubi extant priora verba hujus textus usque ad §. *Debet.*

2 c *Malevolis.*) Quia diffamatio debet esse apud probos, & honestos viros, *c. cum inter 13. de purgat. canonic.* Nec tunc obstat textus *in c. cum interventu 15. de præsumpt.* ubi etsi constabat diffamationem Episcopi a malevolis, & improbis hominibus initium habuisse, adhuc ad inquisitionem contra ipsum processum fuit, quia distinguendum est cum Henrico Boic. *ibi*, & Abbate *num.* 3. inter inquisitionem, quæ fit ad punitionem delicti, ad quam procedi non potest, si diffamatio ab improbis hominibus originem duxit, & inter eam, quæ fit ut constet, an ipsa diffamatio a malevolis orta fuerit: hæc secunda omni casu fieri potest, prima vero non nisi præcedente diffamatione apud probos viros.

3 d *Senioribus.*) Quamvis potestas inquirendi, corrigendi, & puniendi subditorum excessus primo & principaliter ad Episcopos spectet, illam tamen de jure antiquo soli per se exercere non poterant, sed insimul seniorum, sive clericorum suorum debent consensum, seu consilium adhibere, quod primum statutum legitur in Concil. Carth. 4. *can.* 23. ibi: *Ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum præsentia confirmetur.* Quem retulit Gratianus *in cap. Episcopus*, 15. *quæst.* 7. quod recte statuerunt PP. ne quis forte dum ab uno judicaretur, non auctoritate canonica, sed potius tyrannica potestate indiscussus opprimeretur, quam rationem expressit Concil. Hispal. 2. *can.* 6. in illis verbis: *Ut juxta priscorum PP. Synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilii examine quemlibet Presbyterum, vel Diaconum dejicere audeat; nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannica, non auctoritate canonica damnant.* Extat *in cap.* 1. 15. *quæst.* 7. Quid autem per illa verba *absque præsentia suorum clericorum*, in Concil. Carthaginen. significetur, exponendum est. Duarenus *lib.* 1. *de sacris eccl. cap.* 12. existimavit, clericorum nomine Episcopos comprehendi, qui Synodi causa quotannis convocabantur, juxta tradita supra *in cap. sicut Olim*. Sed verius credo, per illa verba Capitulum, seu Canonicos ipsius Ecclesiæ significari, quod mihi probat D. Hieronymus *ad Rusticum*, cujus fragmentum extat *in cap. Ecclesia*, 16. *quæst.* 1. ubi de Capitulo, seu Canonicis agens, presbyteros suos vocat, quemadmodum, & Concilium Carthaginense clericos suos. Verba Hieronymi sunt: *Ecclesia habet Senatum, cœtum presbyterorum, sine quorum consilio nihil monachis agere licet. Roboam filius Salomonis idem perdidit Regnum, quia noluit audire presbyteros suos. Senatum quoque Romani habebant, cujus consilio cuncta agebantur, & nos habemus Senatum nostrum, cœtum presbyterorum.* Hoc etiam Concilii Carthag. statutum firmarunt subsequentes Pontifices. D. Gregorius scribens Joanni Episcopo Panormit. *lib.* 11. *epist.* 49. cujus fragmentum extat *in cap. si quid vero*, 86. *distin.* & postea repetitum *in cap. si quid vero* 15. *quæst.* 7. ibi: *Si quid vero de quocumque clerico ad aures tuas pervenerit, quod te juste possit offendere, facile non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita, sed præsentibus senioribus Ecclesiæ suæ est veritas perscrutanda, & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis.* Ubi quid significent illa verba, *præsentibus senioribus*, non constat apud Interpretes. Glossa verbo *Ecclesiæ*, *in d. cap. si quid*, existimavit, seniorum nomine in eo textu Episcopos suffraganeos significari, ideo quia epistola illa missa est Joanni Panormit. Præsuli, qui Archiepiscopus erat Corinthiorum, & ita suffraganeos sub se habebat. Glossam sequitur Turrecremata, *ibi*, §. 3. *dicitur*: Aliter ea verba accipit Duarenus *lib.* 1. *de sacris Ecclesiæ*, *cap.* 7. scilicet de presbyteris propriæ Ecclesiæ, seu de Capitulo. Quasi dicat Gregorius, non posse Episcopum sine capitali consensu procedere ad inquisitionem, sive vindictam criminis in clerico. Quam explicationem magis probasse videtur Innoc. 3. in præsenti, & in *cap. Licet*, *de simonia*, in illis verbis: *Sed coram Ecclesiæ senioribus diligenter est veritas perscrutanda.* Ubi dum iisdem verbis Gregorii utitur Innocentius, verba illa *senioribus*, de presbyteris intelligit, non de Episcopis. Ego utramque expositionem admitto pro temporum varietate, & juxta sæculum Gregorii primam veriorem credo, namque seniorum nomine non tantum Episcopi, verum & presbyteri significantur, quia ut inquit D. Isidorus relatus *in cap. cleros*, §. *presbyter*, Græce presbyter, Latine senior interpretatur: unde D. Gregorius non tam de capitulo accipiendus est, quam de Concilio, quod quotannis Episcopi celebrabant: nam cum loquatur de clerico damnando, ut constat ex illis verbis, *De quocumque clerico*, necessario accipiendus est de Concilio, siquidem eo tempore clerici non a propriis Episcopis, & Capitulo damnabantur, sed potius in Concilio Episcoporum, ut constat ex Conc. Hispalensi 2. *can.* 6. ibi: *Sexta actione comperimus, Fragitanum Cordubensis Ecclesiæ presbyterum injuste olim a Pontifice suo dejectum.* Et infra. *Decrevimus, ut juxta priscorum Patrum synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilii examine quemlibet presbyterum, vel diaconum dejicere audeat.* Conc. Carth. 2. *can.* 10. Carthag. 3. *can.* 8. & si corrigendus erat Abbas, certum Abbatum numerum Episcopus adhibere debebat, *cap. si quis Abbas* 18. *qu.* 2. *c. in ordinatione*, 61. *dist.* sed postquam modus ille cognoscendi de clericis in Concilio invaluit, præsentia verba, *de senioribus Ecclesiæ*, accipienda sunt de Canonicis ipsius Capituli, ut *in d. cap. Licet*, *de simonia*.

e *Is contra quem.*) Consonat textus *in c. absente* 8. 3. *q.* 9. *c.* 2. 8. *q.* 9. *c.* 4. 3. *q.* 9. & alii congesti ab Ant. Augustino *lib.* 1. *epist. jur. tit.* 17. Continuat lex 12. *tit.* 15. *part.* 3. Illustrat Parexa *de instrumen. edit. titul.* 2. *f.* 90. 4

f *Contumaciam.*) Quia tunc etiam absens damnari potest, *can.* 74. *Apostol. cap.* 4. *de præsumpt.* Felix Papa II. in Synodo Romana *epist.* 1. *cap.* 8. ibi: *Nec a communione prohibeatur accusatus, nisi ad electorum judicium canonice convocatus, aufugerit, aut sex, vel plures menses pro sui ratione reddenda venire distulerit.* Refert Ant. August. *in epit. l.* 30. *tit.* 18. 5

g *Publicanda.*) *Cap. inquisitionis efficitur*, *hoc tit.* nec eliciur hæc verba tantum exaudiamus de Episcopo, de cujus vita inquiritur, ut voluit Cuac. *lib.* 11. *c.* 25. nam in quolibet privato, contra quem proceditur per inquisitionem, idem observatur, *d. cap. inquisitioni*, *hoc tit.* ubi notavi, verbo *Nomina*.

h *Inscriptio.*) Juxta tradita *in c. super his*, *hoc tit.*

i *Charitativa monitio.*) Ut probavi *in c.* 4. *hoc tit.*

k *Clamosa insinuatio.*) Idest diffamatio, juxta tradita *in cap. inquisitionis*, *hoc tit.*

C A P U T XXV.

Idem a *in Concil. Later.*

SIcut olim a sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant Concilia celebrare, in quibus de corrigendis excessibus, ac moribus *b* reformandis præsertim in Clero, diligenter habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, maxime quæ statutæ sunt in hoc generali Concilio *c* relegentes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo. Ut autem id valeat efficacius adimpleri, per singulas diœceses statuant *d* personas idoneas, providas videlicet, & honestas, quæ per totum annum simpliciter, & de plano, absque ulla jurisdictione solicite investigent, quæ correctione, vel reformatione sunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum, & Suffraganeos, & alios in Concilio subsequenti, ut super his, & aliis (prout utilitati, & honestati congruerit) provida deliberatione procedant, & quæ statuerint, faciant observari, publicaturi ea in Episcopalibus Synodis annuatim per singulas diœceses celebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, a sui executione officii suspendatur.

N O T Æ.

1 a IDem.) Concil. videlicet Generali Lateranensi celebrato sub Innoc. III. ubi reperiuntur verba hujus textus *in c.* 6. & etiam extant in quarta collectione, *sub hoc tit. c.* 5.

b *Reformandis.*) In his etiam Conciliis Provincialibus olim de causis Episcoporum, & eorum excessibus agebatur, ut late probat Petrus Marcha *in concord. Sacerd. & Imperii*, *lib.* 7. *fere per totum*, & notavi *in c.* 1. *de judiciis*, & querelæ, atque accusationes contra ecclesiasticos judices, ac posteriores laicos audiebantur. Leo 1. *ep.* 82. *ad Anastasium*, relatus *in cap. de Conciliis*, 18. *dist.* Concil. Tolet. 4. *can.* 3. ibi: *Omnes autem, qui causas adversus Episcopos, aut potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem Concilium occurrant, ut quæcumque examine synodali a quibuslibet prave usurpata inveniuntur, Regis executione, restitute, justissime his, quibus jura sunt, reformentur.* Graviores autem quæstiones, veluti de fide, Sacramentis, & similes, in his Conciliis tractari nequeunt absque Romani Pontificis auctoritate, vel ejus Legati præsentia, *c. Concilia* 9. 17. *dist.*

dist. probant late Thomassius *de Concil. provinc.* P. Marcha *l. 6. concord. Sacerd. & Imp. c. 15.*

c *Relegantur.*) Consonant Concil. Tolet. 4. *in Decret. deref. Concil.* ibi: *Dicantur illa judicia canonum conscripta in medium proferunt, capitula de agendis Conciliis pronuntiet.* Brachar. 1. *Relegerunt capitula de agendis Conciliis* ... *disciplinae ecclesiasticae* ... *canones veterum* ... Mogunt. sub Rabano: *In uno turma residentes Episcopi* ... *legantur, atque perscrutantes familiam Evangelium, vel non epistolas, & actus Apostolorum, canones quoque, ac diversa Sanctorum Patrum opuscula.* Ut ita facilius observentur, & contraria consuetudo, seu praescriptio contra eos inducendi non possit. Et quia per iteratam lectionem legum facilius ipsae percipiuntur, & memoria retinentur. Unde in Concilio Matiscon. 1. *can.* 9. cavetur, ut durante jejunio S. Martini legantur canones, quibus leges de disciplina sanciuntur, & in Conc. Cabilon. sub Leone III. *c.* 37. ita statuitur: *Cum omnia Concilia canonum, quae recipiuntur, sint a sacerdotibus legenda, & intelligenda, ut per ea sit vivendum, & praedicandum, necessarium duximus, ut ea quae ad fidem pertinent, & ubi de exstirpandis vitiis, & plantandis virtutibus scribitur; hoc ab eis recte legatur, & bene intelligatur.* Inde in monasteriis saepe saepius legitur regula, sub qua monachi degunt, juxta Conc. Aquisg. *can.* 123. *Quotidie ad collationem* ... *unde & hanc infrascriptam, & aliarum scripturarum similitudinem perlegant.* Ac S. Augustinus in sua regula, *cap. ult.* jussit, *ne quid per oblivionem negligatur, semel in septimana legatur.* Faciunt textus *in c. 1. de lectoribus, c. quantum 40. de simon.*

3 d *Personae.*) Testes synodales exponit Glossa in praesenti, nec male, de quibus, & eorum officio egi *in c. praeterea, de testibus cog.* Etiam pro his personis intelligi possunt visitatores, de quibus D. Gregor. *in l. 3. epist. 8. ad Maximian. Siracus. Episcopum,* agit his verbis: *Visitatores Ecclesiarum, clericique eorum, qui eum ipsi per non sua civitatis parochias fatigantur, aliquid laboris sui capiant, in dispensatione, suscipiant.* Joannes II. R. Pont. ita *epist.* 9. *ad Episcopos Galliae.* In Ecclesia Orientali dicuntur Periodeutae, seu circuitores. Synod. Laodic. relata *in c. non de his*, 80. *dist.* in cujus scholiis ait Balsamon: *Praesens canon jubet fieri Periodeutas, & non Episcopos, ne dignitas Episcopi vilescat, & contempta reddatur. Hi autem Periodeutae, qui hodie ab Episcopis promoventur exarchi, ... omnia circumeuntes, & delicta spiritualia observant, & fideles perfecturos.* Illi subscripserunt Zonaras, & Justel. *in eo canone*, Herraldus *lib. 2. de auctorit. rer judic. c.* 15.

COMMENTARIUM.

4 Conclusio traditur, & probatur.

EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Singulis annis est celebrandum Concil. Provinciale pro moribus, & excessibus corrigendis.* Probant eam textus in *can.* 38. *Apostol. cap. habeatur, c. servetur,* & fere per totam 18. *dist. c. porrigens,* 18. *dist. c. placuit, de consecr. dist.* 3. Anaclet. 1. *epist.* 1. Conc. Nicaen. 1. *can.* 5. ibi: *Placuit autem annis singulis per unamquamque provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter simul omnibus Episcopis congregatis provinciae, discutiantur hujusmodi quaestiones.* Antiochen. 1. sub Jul. *can.* 20. Carthag. 1. *can.* 2. Hipponense *can.* 8. Rhegiense *can.* 7. Agathense *can.* 1. & 71. Aurel. 3. *can.* 1. ibi: *Unusquisque Metropolitanus in provincia sua cum provincialibus suis singulis annis synodale debeat opportuno tempore habere Concilium.* Aurel. 4. *can.* 37. Aurel. 5. *canon.* 18. & 22. Turon. 2. *can.* 10. Tolet. 3. *can.* 18. Tolet. 4. *can.* 3. Tolet. 11. *can.* 15. Tolet. 12. *can.* 12. Synodus 6. Constant. *can.* 8. Synodus 8. *can.* 4. Paris. 3. *l.* 1. *c.* 26. Lateran. sub Leone X. *sess.* 10. Ratisbon. *can.* 26. Arausic. 1. *can.* 29. D. Gregorius *l.* 2. *epist.* 110. ibi: *Et quidem, quia de habendo bis in anno Concilio Patrum sit regula sanctorum, cum locus, sed ne aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel saltem sine excusatione aliqua oportuisset congregari, ut expeditissime Concilii nihil pravum, nihil praesumatur illicitum.* Meldense anno 845. *can.* 2. *Ut Principes jubeant decreta canonum per singulas provincias saltem bis, aut semel in anno a Metropolitanis, & diocesanis Episcopis synodale conventu custodiant.* Synodus Trull. *can.* 8. Nicaena 2. *can.* 6. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 2. Palent. an. 1322. *can.* 1. *Ut Metropolitani cum suffraganeis suis annis singulis provincialia celebrare Concilia non omittant.* Tol. anni 1473. *can.* 1. *Canonum institutis sanctorum noscimus ab antiquo per Metropolitanos Antistites suos suffraganeos provinciales Concilia debere celebrari.* Tullense *par. ult. c.* 7. Suessionense sub Pipino: Novel. 123. Justin. alia juris testimonia congessit Crespetius *in summa, verbo Concilium.* Illustrant Ant. Aug. *l.* 5. *tit.* 30. Petrus Marcha *in concord. Sacerd. & Imper. l.* 6. *c.* 23. Vigliel. *in method. juris Pontif. f.* 497. Thomassius de Concil. provinc. *fol.* 79. Paulus Idumay *in notis ad Joann. III. l.* 2. *epist.* 45. Coriolan. *in can.* 38. *Apost.* Landmeter. *l.* 3. *de vetere cler. c.* 104. Balsamon *in can.* 73. *Synod. Carthagin.* Justelus *in can.* 8. *Ecclesiae Afric.* Vivar. *in Mart. Max. anno* 532. Cujac. *in c. grave, de praeb.* Cresollius *l.* 3. *mystag. c.* 40. Duarenus *l.* 1. *de sacr. Eccles. c.* 11. Monet a *de commut. c.* 5. *n.* 16. Cironius *ad tit. de his quae fiunt a Praelat.* J. Dartis *ad Decret. dist.* 15. Cellotius *de hierarch. l.* 5. *c.* 11. §. *unic.* Hallierius *eod. tract. fol.* 484. Bellarm. *tom.* 2. *controv. l.* 1. *c.* 4. Azor. 2. *tom. instit. l.* 5. *c.* 18. Turrianus *l.* 1. *pro canonib. c.* 10. Besoldus *c.* 1. *polit. de majest. c.* 5. Anton. Perez *in Pentat. fidei, c.* 6. *de Conciliis*, Solorz. *tom.* 2. *de jure Indiar. l.* 3. *c.* 7. *n.* 39. Aliaeferra *hic.*

5 Impugnatur tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione in praesentem assertionem ita insurgo. Non solum injusta, verum & superflua videtur praesens constitutio. Injusta ex eo, nam Metropolitanus non potest de causis subditorum suffraganeorum primo, & in prima instantia cognoscere, aut in eos propter excessus commissos animadvertere, *cap. pastoralis*, ubi probavi, *de offic. Ordin.* ergo nec in Concil. Provinciali singulis annis celebrando potest denuo causis cognoscere. Superflua etiam apparet praesens constitutio ex eo, quia Episcopi tenentur quotannis dioecesim propriam visitare, *c. cum Apostolus*, ubi probavi, *de censibus*, & Archiepiscopus etiam quotannis, vel quoties potuerit, *cap. cum Romana, sed. tit. lib.* 6. Igitur cum tunc possint tam Episcopi, quam Metropolitani excessus corrigere, & mores reformare, frustra desideratur, ut quotannis omnes Episcopi ejusdem Provinciae cum suo Metropolitano conveniant ad eosdem excessus corrigendos, cum magno ovium dispendio, propter Pastorum absentiam, necnon ipsorum Praelatorum incommodo & expensis.

6 Concil. etymon, & dicitur.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est praesens assertio, pro cujus expositione scire oportet, Concilium praeter etymologiam D. Isidori *in c. canones, §. Synodus,* 15. *dist.* dici a conciliando, idest convocando, ut loquit Festus Pomp. juxta illud Virgilii.

Conciliumque vocat Divum Pater, atque hominum Rex.

Illustrant Pollecus *l.* 5. *hist. c.* 13. Beyerlinch *in theat. vitae hum. tom.* 2. *verbo Concilium.* Non est quaevis populi, aut Patrum congregatio, sed ea dumtaxat, quae a magistratu, vel Sacerdote per publicum ministrum legitime fit. Sunt qui morem indicendi & celebrandi Concilia repetant a Romanis, qui tam Romae, quam in Provinciis hyemis tempore, quo militiam exercere nequibant, juri dicundo vacabant, locum, & tempus designantes ad lites decidendas, & causas peragendas, hoc erat apud illos conventus agere, ut probant Festus Pompejus, & Theophil. in §. *nadam, Instit. in quib. caus. major.* ibi: *Concilium est consessus certorum virorum, statis mensibus & diebus convenientium.* Hinc dicitur Concilium *in l.* 1. *C. de vend. libert.* illustrat Gregor. Amb. *ad Tertul. de quaest. c.* 13. *observ.* 5. Haec Conciliorum origo placuit nonnullis: sed certe Concilia nostra altiorem originem praeseferunt; siquidem eorum sacrum usum legimus obumbratum *Deuter. c.* 17. in illis verbis: *Si difficile, & ambiguum,* &c. a Christo Domino indicatum in casu relato *Matthaei c.* 6. *Marc.* 8. *Lucae* 9. ibi: *Venit Jesus in partes,* &c. ut notavit Baronius *tom.* 1. *anno* 35. *n.* 11. & commendatum apud Matthaeum *c.* 18. ibi: *Si duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo,* &c. quae verba de Conciliis esse accipienda decrevit Synodus Chalc. *in epist. ad Joannem,* & docuit Innoc. Papa *in c. de quibus,* 20. *dist.* Illustrant Fr. Ant. Perez *in Pent. fidei, tr. de Conc. c.* 2. Carrier. *tom.* 2. *digest. fidei, tit.* 36. *de Conc.* Conrad. Kling. *l.* 3. *disp. c.* 23. Caenfurius *in not. Concil.* Christ. Lupus *in can. Conc. Nicaen.* Deinde sciendum est, quatuor esse Conciliorum genera. Primum est Conciliorum generalium, cum Concilium totius urbis, ex omnibus videlicet provinciis, & dioecesibus, tam Orientis, quam Occidentis celebratur; quod ideo dicitur graece oecumenicum ab oecumene, quod significat universum terrarum orbem, quo etiam nomine Romanum Imperium apud Graecos, Latinosque scriptores significari planum est. Sic Sanctus Lucas de descriptione Imperii Romani ab Augusto imperata loquens ait: *Prodiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Illustrat Justel. *in notis ad canones Eccles. Afric. can.* 85. Oecumenicae autem Synodi, non nisi ex gravissimis haeresibus, quae maximam partem pervaserint, convocantur, & tantum auctoritate Romani Pontificis. Reiffenst. *l.* 3. *tit. jurisd. Pont. c.* 2. & 3. pluribus relatis Valenzuela *contra Venetos p.* 6. *ex n.* 1. de quorum auctoritate, necessitate, & infallibilitate, late agunt Coriolanus *in summa Concil. in praeludiis*, Jacobatius *de Conciliis*, Bellarminus *lib.* 1. *controv. generalis de Conciliis*, Joannes Dartis *in* 15. *dist.* ubi refert, omnia Concilia generalia hucusque in Ecclesia celebrata. Et an Concilium generale sit supra Pontificem exposui *in c.* 4. *de elect.* Secundum genus est Conciliorum, quae vel Primates, vel Patriarchae convocant ex Metropolitanis, quod nationale dici potest, ex omnibus provinciis unius nationis, seu regni. Illud Concilium majorem Synodum Episcoporum dixerunt Patres Synodi Antioc. *can.* 91. ibi: *Majorem Synodum Episcoporum.* Constantin. 1. *can.* 169. ibi: *Majorem Synodum Episcoporum universae quae dioeceseos.* Turonensis celebratae an. 567. In Matiscon. *can.* 9. & 10. dicitur generale Concilium, & universale. Dicitur & Synodus plenaria in Conc. Carthag. *can.* 38. & Possidonius in vita S. Augustini, *c.* 8. Hipponense Concilium, plenarium totius Africae appellat. Hujus generis plurima reperiuntur Concilia in tomis Conciliorum, ex dioecesibus, seu nationibus celebrata, veluti Antiochenum ex dioecesi Orientis; Romana ex dioecesi urbis Romae; Aquilejensia ex dioecesi Italiae; Gallicana ex dioecesi Galliarum; Toletana ex dioecesi Hispaniarum; Africana, seu Carthaginensia ex Dioecesi Africae. Ea notione Concilium universale pro Synodo dioeceseos Galliarum accipitur in canone 10. Conc. Matiscon. 2. sub Patriarcha Lugdunensi celebrati. P. Marcha *l.* 6. *concord. c.* 21. Simili locutione Concilia Toletana universalia, & generalia vocantur. Concil. Tolet. 3. *can.* 18. ibi: *Praecipit haec sancta, & universalis Synodus.* Tolet. 4. in exordio: *Quotiens Concilium generale agimus, & can.* 3. *Si fidei causa est, aut qualibet alia Ecclesiae communis, generale totius Hispaniae, & Galliae Synodus convocetur, si vero nec de fide, nec de communi Ecclesiae utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque provinciae, ubi Metropolitanus elegerit, peragendum.* Et Tolet. 5. *can.* 2. 3. & 8. & Tolet. 4. Universalis Synodus nominatur *in can.* 7. ibi: *Ut in omni Concilio Episcoporum Hispaniae universalis Concilii decretum, quod propter Principum nostrorum salutem est confirmatum, in Synodo publice voce debeat pronuntiari.* Leo I. R. P. *epist.* 93. *ad Turribium Episcopum Asturicensem, cap.* 17. *Habeatur ergo apud vos Episcopale Concilium: ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum provinciarum conveniant Sacerdotes.* Et paulo post: *Dedimus literas ad fratres & Coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Galecos, eisque Concilium Synodi generalis indiximus. Si autem aliquid obstiterit, quominus possit celebrari Generale Conc. Galleciae, saltem in unum conveniant Sacerdotes, quo eiis vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur.* Notarunt Filesacus *in c. irrefragabili* 13. §. 1. *de offic. ordin.* Justel. *in c.* 85. *Eccles. Afric.*

7 De aliis Conciliis.

Tertium Concilium provinciale est, quod a Metropolitano ex Episcopis suae provinciae congregatur ad utilitatem provinciae, ad causas Episcoporum dirimendas, & dicitur perfecta Synodus in Concil. Antioch. *can.* 16. & 17. ibi: *Sit autem illa perfecta Synodus, cui quoque una adest Metropolitanus.* Integrum Concilium vocatur in eadem Synodo, *can.* 16. apud Burchardum *lib.* 1. *cap.* 39. Synodus plenaria dicitur ab Innocen. I. Pontificale Concilium a Sidonio *lib.* 4. *epist.* 24. ubi notavit Savarus. Quae Concilia provincialia dicuntur celebrari cum Episcopis ab Hincmaro Rhemensi *in commonit. ad Ludovicum Germaniae Regem, c.* 7. ibi: *De temporibus a sacris regulis constitutis comprovinciales Synodos cum Episcopis, & speciales cum presbyteris.* Concilii provincialis origo repetenda est, a temporibus Apostolorum, nam in ipsorum actis legitur Paulum Miletum convocasse omnes Ephesinae provinciae majores natu: ubi Vualdensis *lib.* 2. *doctrina fidei, art.* 2. *quaest.* 27. formam Concilii provincialis inesse arbitratur, & majores natu fuisse Episcopos, ex Tridentur. *sess.* 23. *cap.* 4. probat Cellotius *lib.* 4. *de Ecclesiast. hierarch. cap.* 11. Ultima Synodus est dioecesana, idest proprii Episcopi, quae appellatur Synodus Episcopalis *in cap.* 2. 38. *dist.* Episcopi Concilium, in Concilio Vernensi *can.* 8. Dioecesis Synodus *in l.* 13. *Cod. Theodos. de Episc. & Cleric.* ibi: *Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis ecclesiasticis observandus est, ut si qua sint, ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & sua dioeceseos Synodis audiantur.* Ad quod venire tenentur Abbates Concil. Altissiod. *can.* 7. & monachi, qui Ecclesias Parochiales regunt. Synodus Mogunt. sub Rabano *can.* 14. Dicitur etiam specialis Synodus cum presbyteris habita ab Hincmaro *d. c.* 7. Appellatur & civile Concilium ab Hadriano Papa *epist.* 13. quam nomenclaturam illustrant Dartis *in d.* 15. *dist. pag.* 50. originem Synodi dioecesanae repetit a Sancto Jacobo Cellotius *d. lib.* 4. *cap.* 6. Celebrabatur olim singulis annis ante dies Quadragesimae, *cap. habeatur* 3. *dist.* 18. Illustrat Juretus *in notis ad epist.* 64. *Ivonis.*

8 De Concil. provinciali.

Sed ut ad Concilium provinciale, de quo in praesenti agitur, disputationem contrahamus, sciendum est, bis in anno celebrandum esse, ex praecepto Apostolorum relato *in can.* 38. ibi: *Bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur, & inter se invicem dogmata pietatis explorent, & emergentes ecclesiasticas contentiones amoveant, semel quidem septimana quarta Pentecostes: secundo* 12. *die mensis Hiperberetaei,* quem Octobrem dicimus. A Dionysio vero, Burchardo, & Ivone dum refertur canon hic, dicitur Idibus Octobris, ut notant Romani correctores *in can.* 4. *dist.* 18. ubi monent, non convenire Latinorum menses cum Graecis, nam Idus Octobris sunt die 15. non 12. Alciatus *l.* 1. *Parerg. c.* 47. Eamdem sanctionem firmarunt Synodus Antioc. *can.* 20. ubi ait: *Recte haberi, quod in singulis provinciis bis quoque anno Concilia habeantur.* Nicaena *can.* 5. *Visum est bene habere, ut bis per unamquamque provinciam singulis annis concilia habeantur.* Ubi refertur, & approbatur usus hic celebrandi Concilia, non autem noviter statuitur, cum ex traditione Apostolorum jam usus hic invaluisset. Facit Tertul. *l. de jejuniis*, ibi: *Aguntur praecepta per Graecias illas certis in locis Concilia.* Quem contra Magdeburgenses recte expendit Turrianus *l.* 1. *pro canonibus Apost. c.* 10. Leo Mag. *in c. de Concil.* 18. *dist.* Patres Concilii Antioch. *in c.* 14. 18. *dist.* Chalced. *can.* 19. *in c.* 6. *ead. dist.* Regiensis *can.* 8. Vernensis *can.* 4. Sed postea id mutari coepit ex justis causis in diversis provinciis. In Ecclesia Orientali, canone 8. Synodi Trullanae ita cautum fuit: *Quoniam autem propter aliquas barbarorum incursiones, & quasdam alias incidentes causas non possunt, qui Ecclesiis praesident, Synodos bis in anno facere, visum est ut omnino semel in anno fiant.* Quod firmatum fuit in septima Synodo relata *in can.* 7. *dist.* 18. & Hilarius Papa Episcopis Galliae scribens, *ep.* 8. ait: *Per annos singulos ex provinciis, quibus potuerit congregari, habeatur Episcopale Concilium.* Firmarunt etiam D. Gregor. *l.* 7. *epist.* 112. Hormisdas I. *epist.* 4. *ad Episcopos Hispaniae*, ubi *c.* 3. ita scribit: *Si vero temporum necessitates, aut emergentes causae hoc non patiuntur impleri, semel saltem, quamvis non licuerit, sine ulla excusatione praecipimus convenire.* Idem cautum fuit in Concilio Suession. *can.* 2. Tolet. 3. *can.* 18. Turon. 2. *can.* 1. Postquam autem praescriptum fuit, ut semel in anno celebrarentur Concilia provincialia, tempus eorum definitum fuit a Paschatis festo usque ad finem Octobris, ut legitur *in d. can.* 8. *Synod. Trul.* Tandem Concilii Matiscon 2. *can.* 20. Later. sub Leone *sess.* 10. & Triden. *sess.* 24. *de reform. c.* 2. tempus hoc ad triennium protractum fuit: & quia jam a tempore Concilii Chalcedonensis Concilia provincialia celebrari desierant, ex causis, quas refert P. Marcha *d. c.* 1. ideo praesenti canone Concilii Lateran. eorum usus restituitur. Convocabantur autem ad has Synodos Episcopi per epistolas Metropolitani. Concil. Agathense *c.* 35. *c.* 1. *& per tot. dist.* 18. *c. si Episcopus*, 17. *dist.* Quaranta *in Summa, verbo Archiep. & Conc. Provinciale.* Unde dicuntur vocari in Concilio Laodic. *c.* 40. & refertur *can.* 20. *Concilii Antiocheni*; & refertur *d. can.* 4. *dist.* 18. monebantur autem per epistolas, quae dicebantur tractoriae, D. Augustinus *epist.* 15. *Tractoria ad me denuo Idibus Novembr. venit.* Et deinceps, ubi vocat epistolam tractoriam: & in libro post collationem contra Donatist. *c.* 24. *A Primate suo per tractoriam sunt evocati.* Et Constantinus epistola, qua scribit, ut Caecilianus, & accusatores ejus ad Concilium Arelatense primo pergant, & conveniant, mandat Ablavio, ut singulis Episcopis singulas tractorias tribuat, ut ipsi ad supradictum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint pervenire: & tractoriae erant sigillo roboratae, & dabant auctoritatem conveniendi ministros Reipublicae, vel Ecclesiae, ut ab iis auxilium, vel victum peterent, quod colligitur ex Synodo Meldensi, *cap.* 71. *Ut auctoritatem sigillo Regio roboratam more tractoria Christianissimus Princeps singulis daret Episcopis, quam quisque Episcoporum penes se haberet, ut quando ei necesse fuerit, per eamdem auctoritatem Reipublicae ministros conveniat, ut ipsi in quibuscumque civile indigueritне adjutorio, Reipublicae ministris concurrentibus, suum, imo possint divinum rite peragere ministerium.* De quibus tractoriis egi *in cap.* 1. *de Offic. Ordin.* Et Episcopi ita vocati venire tenentur, aut Legatum mittere, *cap.* 9. 18. *dist.* Concil. Arelatense 2. *can.* 18. Agathense *can.* 35. Tarracon. *can.* 12. Aurelian. *can.* 2. Vasion. *can.* 29. quae & alia congessit Hallier. *de hier. l.* 4. *art.* 1. *in fine*: & hoc est, quod *in c.* 10. *dist.* 18. dicitur *excusationes suas literatoriis conscribere.* Ita enim legendum est, non *tractoriis*, notavit Dartis *in d.* 15. *dist.* alias excommunicantur, *c.* 12, 13. & 14. *dist.* 18. Vocantur etiam Parochi, & Abbates, *c. Hadrianus, el.* 1. 63. *dist. c. ex ore, de privil.* Conc. Altissiod. *d. c.* 7. & privati laici, ut retuli in Concil. Illib. *l.* 1. *c.* 8. ubi de forma celebrandi Concilii, & ordine subscribendi in eo egi. Tandem sciendum est, Concilia provincialia in Ecclesia celebrari, primo ad exstirpandas haereses pullulantes, secundo ad ecclesiasticorum canonum conservationem. Unde Concilia hac de Gentilium tyrannide triumpharunt Ecclesiasticam disciplinam stabiliendo, ut constat ex Conciliis Illiberit. Neocaesar. Laodic. & similibus. Olim etiam de Episcoporum electione & consecratione, si qua erat Ecclesia vacans, agebatur: & de excessibus Episcoporum cognoscebatur; quia vetitum erat ab Hadriano *cap.* 5. ne ullus Metropolitanus Episcopus absque caeterorum omnium comprovincialium Episcoporum praesentia eorum causas audiret: notavi *in c.* 1. *de judiciis*: & ea Concilia confirmabantur per Pontificem, vel tacite, vel expresse, *c. de libellis,* 15. *dist.* ut variis exemplis probat Cellotius *d. c.* 11. *ad finem.*

9 Traditur decidendi ratio.

His suppositis apparet ratio praesentis assertionis; nam cum Concilia provincialia jam a temporibus Apostolorum in Ecclesia usitata negligerentur, & raro, aut nunquam Metropolitanus in vita sua Concilium provinciale celebraret; ideo veteres Ecclesiae sanctiones Patres Concilii Lateran. in praesenti renovantes recte sanxerunt, quotannis esse Concilium provinciale a Metropolitano celebrandum, juxta veteres canones. Accedunt rationes, ob quas Concilia haec ita frequenter celebrari debent, quas refert Baronius anno 257. *n.* 12. Prima, ut agnoscatur, quomodo Episcopi in suo munere exercendo se gerant; & suae villicationis rationem reddant, ut exprimitur in Conc. Trid. *sess.* 23. *de refor. c.* 5. & defectus emendentur, prout innuitur *in c. quoniam, dist.* 18. & *sess.* 24. *de refor. c.* 18. ubi praecipitur, ut defectus in Conciliis provincialibus proponantur. Secundo, ut decreta Pontificia relegantur, ne oblivione transgredi possint, ut notavi supra, verbo *relegantur.* Tertia, quia haereses facile pullulant, si Concilia non celebrentur; praecipua enim causa, quare in Anglia, Scotia, Belgio, & aliis nationibus haec maxima pestis serpsit, fuit, quia Metropolitani ab his Conciliis ineundis cessavere, prout deplorat Anastasius Constantinop. *ep.* 1. his verbis: *Si assidue ea celebrentur, reformationem Ecclesiae causabunt, & haereses exstirpabuntur, ipsa autem continue celebrata nascentes haereses statim, & breviter exstirpabunt: quae si per aliquod tempus dissimulantur, sumptis viribus difficile destruuntur.* Concilia ergo provincialia sunt saepe congreganda, ut necessitatibus Ecclesiae subveniatur, necnon mores pravi corrigantur: nam ut ait Victoria *in relect. de potestate Papae*, ab eo tempore, quo propter novas opiniones DD. Pontifices coeperunt timere Concilia, Ecclesia manet, & manebit cum magna calamitate, & religionis pernicie. Utilitatem, & necessitatem Concilii Provincialis satis expresserunt PP. Concilii Paris. 1. *can.* 26. his verbis: *Quoniam si hoc Concilium semel in anno per unamquamque provinciam celebratum fuerit, & bonos ecclesiasticos viros ordinis sui continebit, & impudentia quorumdam superborum clericorum, qui posito auctoritate canonica calcata, moribus Imperialibus molestiam ingerunt, cessabit, & iniquitas diversorum flagitiorum, quae locum delitescendi nunc habet, non habebit, & alia multa, quae hodieque sunt quam ecclesiastica disciplina docet, successerunt, ordinem suum Domino auxiliante servabunt.* Prosequitur alias rationes Coriolanus *in notis ad canon.* 38. *Apost.*

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam ex hucusque traditis facile apparet, injustam non esse praesentem Concilii Lateran. constitutionem; nam si Archiepiscopus dum visitat provinciam suam, potest cognoscere de subditis suffraganeorum suorum, & eorum excessus emendare, quanto magis in Conciliis cum Episcopis suffraganeis ad audiendas similes causas convocatis. Nec obstat quod dicebamus, posse Episcopus, vel Archiepiscopum, dum visitant dioeceses proprias, eas causas decidere, ac terminare, nam sunt plura negotia quae ob eorum gravitatem debent tractari, & decidi in conventu Episcoporum comprovincialium, praecipue quia leges pro restauranda Ecclesiae disciplina collapsa, ipsi per se facere non possunt; & in Concilio provinciali utiles, & salubres canones ad id eduntur, & aliqua statuuntur, quae in minori conventu definiri non valent, ut supra retuli; & ita valde necessaria, utiliaque in Ecclesia esse Concilia haec, late probat Coriolanus *in prol. ad summam in Conc.*

CA-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

CAPUT XXVI.

Gregorius IX. a *Archiepiscopo*, & *Priori* b *S. Mariæ Rhotomagensis*.

OLim I. V. & P. Ordinis c Tironensis. *Et infra*: Ne igitur reformatio monasterii valeat retardari, mandamus, quatenus relaxatis excommunicationum, seu suspensionum sententiis, si quas idem Abbas protulerit, vel per quoscumque judices promulgari fecit, post inceptum negocium in eos, & adhærentes eisdem, ac eis restitutis, quos idem Abbas negotio pendente contra justitiam spoliavit, in negotio de plano, & absque judiciorum strepitu procedentes (cum talibus maxime in hoc casu non deceat Dei servos involvi) inquiratis, quæ circa personas, & observantias regulares videritis inquirenda: corrigentes, & reformantes, tam in capite, quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio noveritis indigere: juramentis, si quæ de dicenda veritate Abbas extorserit, relaxatis, proviso ut negotio ipso pendente præfati monachi eidem Abbati obediant, & intendant; ita tamen, quod per hoc prosecutio negotii non valeat impediri. Si vero testes contra eundem Abbatem producti fuerint, dictorum ipsorum ei copiam dari faciatis. Prædictis autem monachis expensas factas propter hoc, & tribus, vel quatuor ex istis, vel aliis, quos idoneos ad dictum negocium prosequendum duxeritis assumendos, faciatis de bonis ejusdem monasterii; & faciendas expensas ad prosecutionem ipsius negotii necessarias, computatis, si quas propter hoc receperunt de bonis monasterii, cum proprium non habeant, d ministrari: contradictores, &c.

NOTÆ.

a *Archiepiscopo*.) Mauricio videlicet, qui antea fuerat Salensis Episcopus, & postea Cenomanensis, & tandem decessit Rhotomagensis anno 1235. ut refert Chenu *in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ*.

b *Priori sanctæ Mariæ*.) In ipsa urbe Rhotomag. est monasterium canonicorum regularium Sanctæ Mariæ, Ordinis D. Augustini, de quo Penottus *l. 2. canon. regul. cap. 34. n. 18*, cujus Priori in præsenti rescribit Gregorius.

c *Tiron*.) Alibi legitur *Turon*. alibi *Cisterc*. ut emendat Glossa marginalis: & legendum credo *Tironensi*. Tironense enim monasterium est Ordinis Cisterciensis, de cujus reformatione scripsit epistolam 31. Gregorius IX. in hæc verba: *Quatenus accedentes Abbatibus, & Prioribus sibi subjectis, infra festum omnium Sanctorum proxime venturum corrigeret, & reformaret, tam in monasterio Tironensi, quam in membris ipsius, & ceteris ei subjectis*. De eo Manrique *t. 4. annal. Cisterc. anno 1231. c. 6. n. 9.*

d *Ministrari*.) Juxta tradita supra *in c. ex par. 11.*

CAPUT XXVII.

Idem *Episcopo* a *Cisterc. & de Alde, & de* b *Salem. Abbatibus*.

PRælatorum excessus. *Et infra*: Sane dilecti filii C. & quatuor alii Canonici c Frisigien. denunciando monstrarunt, quod Frisigien. Episcopus bona sui Episcopatus (quem, ut dicunt, fuit minus canonice assecutus) adeo graviter dilapidat, & consumit, quod (nisi celeriter adhibeatur remedium) Episcopatus idem per eum ad irreparabile dissolutionis opprobrium deducetur: nec solummodo rerum, verum etiam famæ suæ prodigus, & salutis, vitam ducit enormiter dissolutam. *Et infra*: Discr. v. mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, inquiratis solicite veritatem, & eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam. Eidem Episcopo terminum assignantes, quo nostro se conspectui repræsentet pro meritis recepturus: potestate d vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodolibet alienandi bona ipsius Ecclesiæ, interim eidem penitus interdicta.

NOTÆ.

a *Cisterc*.) Recte in margine emendatur *Cistr*. cum in præsenti scribat Gregorius Cistrensi Episcopo, de qua diœcesi egi *in cap. 2. de corpore vitiat.*

b *Salem*) Salem, seu Salo Salomonis, vulgo *Salmans-Veiler*, celeberrimum Cisterciensis Ordinis cœnobium est in Alemania, Constantiensis diœceseos: primum a Guntrano Barone constructum anno 1134. deinde a Conrado, & Friderico primo Imperatoribus, & a Burchardo Archiepiscopo Salisburg. liberalissime ditatum, ut refert Bucelinus *Germaniæ sacræ part. 2. fol. 78.*

c *Frisigen*.) Geraldus videlicet, qui præfuit ipsi Ecclesiæ undecim annos, ut refert Bucelinus *tom. 1. German. in serie Episc. ipsius Ecclesiæ*.

d *Vendendi*.) Etiam cum solemnitate præscripta *in cap. nulli, de rebus Ecclesiæ*: nam hoc speciale est in crimine dilapidationis, ut lite adhuc pendente, Prælatus suspectus de dilapidatione, ab Ecclesia amoveatur, *cap. licet Heli, de simon.* probat Bernardus Diaz *in praxi, cap. 71.*

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

CAPUT PRIMUM.

Gregorius a *Anthemio Subdiacono Campaniæ*.

CUm fortius punienda sint crimina, quæ insontibus, & magis sacratis b hominibus ingeruntur, quam satis culpabiles omnes, qui in causa Joannis resedistis, attendite, ut Hilarium criminatorem ipsius nulla ex definitione vestra pœna conveniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram credatis esse idoneum, quod vobis quasi judicare volentibus, solus frater, & Coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius unus a multis rationabiliter suaderi, quam multi ab uno poterant sine causa deferri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum sine digna non debet ultione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut eundem Hilarium prius Subdiaconatus, quo indignus fungitur, privet officio, atque verberibus publice castigatum, faciat in c exilium deportari, ut unius pœna multorum possit esse correctio. Cujus si forte lenitatem Diaconi sui adhuc opinio lacerata non commovet, & in hoc, quod non credimus, torpens extiterit, experientia tua hæc quæ diximus, faciat, & de illius nobis neglectu renuntiet. Hortandus præterea idem frater ex nostro mandato est, ut se in omnibus vigilantem exhibeat, & Ecclesiæ suæ amplius disciplinam non negligat, ne & peccatum de his, qui ei commissi sunt, sustineat, & nos contra se vehementer stimulet, si in officii sui cura, quod non optamus, incautus, vel lentus extiterit. d Volumus autem ut memoratus frater noster Paschasius, & vicedominum sibi ordinet, & majorem domus: quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis, quæ eveniunt, idoneus, & paratus existere: si vero & negligentem eum prospicis; & ea quæ diximus, implere differentem, omnis Clerus ejus adhiberi debet, ut communi consilio ipsi eligant, quorum personæ ad ea, quæ prædiximus, valeant ordinari.

NOTÆ.

a *Anthemio*.) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub titul. de accusationibus, c. 2.* & habetur textus hic in ipso registro Gregorii, *lib. 9. epist. 66.* ex quo integram hujus textus transcribo, & ex ipso D. Gregorio citarunt textum hunc Burchardus *lib. 2. Decreti, c. 201.* Carnotensis *part. 2. Decreti, c. 274.* De hoc Anthemio nonnulla notavi *in cap. 1. de testamentis*.

b *Hominibus inferuntur*.) Facit idem Gregorius *lib. 15. Moral. c. 15.* ibi: *Gravius est, si quis justis potius, quam peccatoribus noceat; unde & per Prophetam dicitur: Sanguis ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere: per terram videlicet, & pulverem peccatorem, per petram vero limpidissimam justum signari, qui gravibus peccatorum contagiis non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimam petram effunditur, quando malitia crudelitatis in afflictione justi animus grassatur.* Unde quo quis est justior, ac proinde dignior veneratione, ideo indigens est illum impeti falsis probris, & calumniis.

c *Exilium deportari*.) Quæ phrasis apud scriptores inferioris seculi recepta, & ussitata fuit, in specie a Sixto III. P. M. ep. un. ante medium, ibi: *Si quis circa ejusmodi personas non probanda detulerit, intelligat se jacturam infamiæ sustinere, & sub magna excommunicatione exilio deportari.* Ita constitutione Hon. & Theodosii, quæ est ordine 15. in appendice C. Theodos. edita a Sirm. & de Manichæis Anastasius *ep. 1. c. 3.* ita scribit: "Subditi legibus secundum Christianorum Principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione pollueret, per publicos judices sunt perpetuo exilio relegati. *Et c. 13. 17. q. 1.* Illustrat D. Nicolaus Ant. *de exilio lib. 1. c. 1. n. 8.* D. Joseph. de Retes *lib. 1. de interdict. c. 1. in notis*.

d *Volumus*.) Verba quæ sequuntur, extant *in c. volumus, 89. dist.* in qua distinctione intendit Gratianus exponere, quod sit officium vicedomini. Et sciendum est, vicedominum in sacris canonibus accipi pro eo, qui ab Episcopo administrationi rerum suarum præpositus est, & pro hospitibus recipiendis, & eleemosynis elargiendis, & ut absolute provideat rebus omnibus, quæ domi providendæ sunt; ideo dicitur major domus *in c. Salvator, 1. q. 3. c. diaconum, 89. dist.* & eum vice Episcopi causas judicasse constat ex præsenti ep. & *ex lib. 3. c. 26.* *Mandat Comes, vel Abbas, vel Vicedominus, vel ille, quicumque locum Episcopi, vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei rationem.* Et *lib. 5. c. 120.* Conc. Mog. sub Carolo *c. 150.* tria velut hominum genera memorat, quibus omnis Ecclesiastica res qualisqualis commissa est, omnibus Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero; & ait: *Omnino præcipimus vice dominos, & præpositos, advocatos, sive defensores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non perjuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam diligentes. Et c. consuetiare 38. de fum.* Alia de vicedominis adducunt Joan. Vossius *lib. 3. de vitiis serm. c. 53.* I. Filesacus *in c. 4. de Offic. Ord.* P. Greg. *lib. 2. p. etc. 9. c. 5. n. 11. & lib. 15 syntag. c. 40. n. 3.* Sebast. Cæsar *de Eccles. Hierarch. q. 2. proœmiali, §. 5. n. 13.* Manrique *tom. 1. annal. Cisterc. anno 1136. c. 1. infine,* I. Dartis *ad Decret. in dist. 89.* Unde D. Greg. in præsenti prædicta vicedomini munia complectens jubet, ut Paschasius Episcopus eligat Vicedominum pro hospitibus recipiendis, & simul causis, quæ emergant, decidendis.

COMMENTARIUM.

5 *Conclusio traditur, & probatur.* EX fragmento hujus epist. a Raymundo in præsenti transcripto, talis communiter deducitur assertio: *Subdiaconus calumniose accusans, gradu ipso privatur, & verberibus afficitur, ac in exilium mittetur.* Quæ assertio probari potest *ex c. Deus 7. 2. q. 1. c. qui crimine 2. q. 8. c. 1. & ult. 3. q. 6. c. quisquis 3. 2. q. 8. c. si quis Episcopus 50. 2. q. 7. c. Epiphanium 4. 5. q. 6. c. 4. 9. 3. c. fin. 1. q. 6. c. 1. §. adsistat, de elect. in 6. c. 1. 2. q. 4.* Sixtus III. supra relatus; Hadrianus Papa ad Episcopos Mediomat. *c. 58.* in quibus omnibus variæ pœnæ contra calumniatores statuuntur: referunt ea, & alia juris testimonia Ant. Aug. *in epit. lib. 30. tit. 11. & lib. 37. tit. 57.* Crespet. *in summa, verbo Accusator falsus*, Illustrant ultra congestos a Barb. *in præsenti*, Guaz. *de defens. reor. c. 13. defens. 3.* Alfarus *de offic. Fiscal. glos. 17.* Giurba *cons. 47.* Valenzuela *cons. 170. ex n. 1. & consil. 171. n. 47.* Petrus Greg. *lib. 4. partit. tit. 15. c. 4.* Mendoza *lib. 2. Conc. Illiber. c. 12.* de Bellis *dedalibus q. 8.* Manc. *gen. cont. 2. c. 45. & sacri juris controv. tit. 7. & de exiliis juris civilis, c. 179. & 117.* Salcedo *in praxi, c. 64.* Martha *de jurisd. p. 1. c. 48. n. 21.* Roussellus *lib. 4. hist. jurisd. Pont. c. 5. n. 12.* Corvinus *lib. 4. aphorism. juris canon. tit. 30.* Turrecremata *in Panol. c. 43.* Ant. Matthæus *de crimin. ad lib. 48. Pandect. tit. 17. c. 3. fol. 813.* Theophilus Raynaud. *in epitheto de calumn. sect. 1. c. 4.* Turrecremata *in c. calumniator, 2. q. 3.* Castillo *tom. 3. controv. lib. 3. c. 21.*

6 *Impugnatur tradita assertio.* Sed hæc assertio difficilis redditur sequentibus juris considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam in principio cujusque litis, civilis, seu criminalis, jurat actor, se calumniæ causa accusationem, actionemve non proponere, *instit. Inst. de pœna temere*: sed postquam juratum est, non calumniæ causa judicium intendi, amplius quæri non potest, an fuerit calumniatus actor, *l. 3. §. nodo, ff. de jurejur.* quia post juramentum tantum quæri potest, an juratum sit, *§. item si quis 44. de action.* ubi plura Pichardus. Igitur nunquam calumniator in judicio propter calumniam damnari potest. Secunda nascitur ex eo, nam calumniatorum pœna talio est, idest ut eandem subeat pœnam accusator, quam accusatum pati intendebat, *c. qui crimen 2. q. 8.* ibi: *Et qui non probaverit quod objecit, pœnam quam intulerit, ipse patiatur.* Et *c. 3. 2. q. 8.* ibi: *Cum calumniantes ad vindictam poscunt, similitudo supplicii, &c. c. calumniator, 2. q. 3. & 4. q. 4.* ibi: *Calumniator talionem recipiat.* Heraldus Episcopus Turon. *can. 80.* *Quod eandem pœnam passurus sit accusator, si convincere non potest, quam reus, si victus fuerit.* Probavi *in c. insuper 16. de accusat.* Igitur si in præsenti casu Subdiaconus Diaconum per calumniam accusaverat, eadem pœna afficiendus erat, non vero diversis a Gregorio statutis. Tertia oritur ex eo, nam pœna verberum, quam imponit Gregorius, non convenit nec ipsi Subdiacono, cui imponitur, nec judici ecclesiastico, a quo infligitur. Non ipsi Subdiacono, quia liberi homines, & cives Romani verberibus non afficiuntur, sed tantum servi, & viles personæ, ut probavi *in can. 3.* Conc. Illib. qui inde infames manebant, *l. illud 22. ff. de his qui not. inf. l. in servorum 10. fin. leg. capitalium 28. §. pen. ff. de pœnis, l. nullum C. ex quibus caus. inf. l. 22. C. de decur. l. pen. §. institutor, ff. de variis & extraord. l. fin. de injuriis, leg. 6. §. quid, de tabulis, l. 1. &c. ff. quando appellar. l. 4. ff. ne vicendio, l. Larius, ff. de accusat.* Oswald. *lib. 18.* Donel. *c. 8. littera*, Tiraq. *de nobilit. c. 20.* Amaya *in l. 65. C. de decur. lib. 10.* Et sacri Canones pœnarum delectum, & distinctionem semper observarunt, ita ut licet ob graviora crimina laicos pœnitentiæ solemni manciparent, tamen Clericos, & Ecclesiæ ministros nunquam ad statum illum redegerunt, propter infamiæ notam, qua solemniter pœnitentes inurebantur, *c. pœnitentes, c. illud 50. dist.* Conc. Carthag. *5. can. 11.* probavi late *in c. 1. de bigam. non ordin.* Ergo propter camdem rationem, infamiæ videlicet notam, quæ ex verberibus, & flagris provenit, non potuit Subdiaconus in præsenti specie verberibus castigari. Nec judici Ecclesiastico congrua est hæc pœna, cum judices Ecclesiastici pœnam sanguinis conferri non possint, *c. sententiam, ne clerici, vel monachi*; sed verbera sanguinem eliciunt, & ideo a judice Ecclesiastico imponi non posse, docetur *in c. qui in Archiepiscopatu, de raptor.* Ergo non recte in præsenti talis pœna in Subdiaconum calumniatorem statuitur. Eodem modo arguendum est de pœna exilii, seu deportationis in præsenti statuta: nam exilii pœna capitalis est, *l. capitalium, ff. de pœnis, l. 3. ff. si quis cautionibus, l. hos accusare 11. §. omnes, ff. de accusat.* late probat D. Nicolaus Ant. *de exilio lib. 2. c. 3. per totum*, Salgado *de protect. Regia, p. 2. c. 4. n. 164.* Carleval. *de judiciis l. 1. disp. 2. q. 7. sect. 1. n. 751.* D. Joseph de Retes *de interdictis, in l. cum Ulpianus, & lib. 3. conjunct. 2.* Unde Ecclesia eam non imponit, sed judex secularis ad requisitionem judicis Ecclesiastici, *c. 2. de cleric. excom.* ibi: *Et Episcopus minime emendare poterit, Regis judicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur.* Probat Citonius *lib. 1. obs. c. 1.* Igitur minus congrua in præsenti exilii pœna a Gregorio Subdiacono calumniatori imponitur.

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cujus expositione sciendum est, calumniæ varias esse acceptiones: in bonam partem nonnunquam sumi, constat ex Carnot. *ep. 17.* ubi de Philippi Regis nuptiis cum Bertrada, cui ipse jure contradixerat, sic loquitur: *Quia contradixi quod dicitur & feci pro calumniam, quam debui, feci.* Quo sensu dixit deinde *ep. 41.* conjugium calumniosum: alias calumnia sumitur pro jurgio forensi, vel lite, ut sæpius apud eundem Ivon. *ep. 66. 179. 219. 219. & 268.* Et Arnulfus Episc. Lexov. *ep. 32.* ait: *Nuntiatur vero nobis, te in Anglia nihil nisi lites, & calumnias invenisse*: Quare calumniatorem pro actore, & petitore usurpat Ivo *ep. 212. & 241.* Notarunt Juretus *in d. ep. 17.* Gabr. *de regul. tom. 2. lib. 6. c. 7. art. 2.* Beyerlinch *in theatr. tom. 2. verbo Calumnia*. Sed plerumque male calumnia sonat, pro calliditate & malitiosa juris interpretatione accipitur *in l. ad exhibendum 19. ff. ad exhibendum*, ibi: *Non oportet jus civile calumniari, neque verba captari, sed qua mente quid dicitur, animadvertere convenire.* Probat Laur. Valla *lib. 6. elegant. c. 30.* Pro dolo malo usurpatur *in tit. ff. si mulier ventris nomine in possessionem calumniæ causa, l. 2. C. de jurejur. propter calumniam*: quam acceptionem late illustrat Bargalius *lib. 5. de dolo, c. 15.* In præsenti titulo pro falsa criminis accusatione sumitur, & definitur juxta Marc. *in l. 1. ff. ad Turpil.* ut calumniari sit falsa crimina intendere; ac proinde nihil aliud est, quam falsi criminis impactio. Quam definitionem explicat Theophil. Raynaud. *de calumn. q. 3.* & Nonius Marcel. *c. 4. n. 74.* ait: *Calumnia est malitiosa, & mendax infamatio.* Et Beda *lib. de orthographia*: *Calumnia*, inquit, *est crimen falsum, cum nobis adversarius, aut malum, quod non fecimus, objicit, aut bonum, quod fecisse probamur, in contrarium vertit.* Cassiodorus *in Ps. 117.* *Calumnia (ait) est commentum aliquod periculosæ falsitatis objectum.* Inde calumniatores dicti, seu calumniosi, juxta Paulum *in l. 3. ff. ad Turpil*, qui improbe, & ex impostura accusatoris officio utuntur. Græce dicantur sycophantæ; eo quod furta ficuum apud Athenienses capitalia essent, teste Festo Pompejo. Probant Franc. Polletus *lib. 4. hist. fori Romani, c. 5.* Alciatus *lib. 2. Parerg. c. 4.* & expressit Suidas *verbo Συκοφάντης*, quem latine vertit Hieron. Bolsus in hæc verba: *Si ficum arborem primum invenere, vetuisse tradunt Athenienses, ne ficus exportarentur; qui autem deferebant, qui exportabant, sycophantæ quasi ficuum dicebantur, inde translatum nomen ad quosvis calumniatores.* Nec sunt aliena a proposito, quæ in Pauli Festi Epitomaile leguntur *lib. 17.* ibi: *Sycophantas appellatos hac de causa dicunt Attici quondam juvenes soliti in hortos irrumpere, ficosque deligere: quam ob causam est constitutum lege, ut qui id fecisset, capite truncaretur: quam pœnam qui persequerentur ob parvula detrimenta, sycophantæ appellati.* Prosequuntur Budeus *ad Pandect.* Rhodiginus *lib. 18. antiquar. lect. c. 9.* Demsterus *ad Rosinum lib. 9.* licet aliam hujus voci originem adducat Athenæus *l. 3. dipnosoph. c. 3.* P. Faber *l. 1. semestr. pag. 25. & 163.* Lipsius *in orat. de calumnia*, Covar. *lib. 2. var. c. 9. n. 1.* Pet. Greg. *lib. 31. syntag. c. 4.* Alfaro *de offic. fisc. gloss. 17.* Calumnia ergo proprie consistit in impostura: quare non sufficit ad calumniam, ut alicui quomodocumque tribuatur falsum probrum, sed necesse est intervenire malitiam tribuentis. Unde si per errorem, aut hallucinationem contingat falsum crimen trahi noxio, non inde vera dabitur calumnia, ut probat Raynaud. *d. sect. 1. c. 1.* qui in sequentibus malignitatem hujus sceleris late probat. quod argumentum luculenter tractavit C. I. V. Justus Lipsius *cent. 3. ep. ad Belg.*, in oratione de calumnia: & Lauco Tyran- 7 *Calumnia quid?*